PA 277
.S5
Copy 1

PA 277
.S5
Copy 1

QUAESTIONUM
DE METATHESI GRAECA

PARTICULA I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALCUINUS JUSTUS SIEGISMUND

LIPSIENSIS.

79252

LIPSIAE

TYPIS EXPRESSIT J. B. HIRSCHFELD.

CIƆIƆCCCLXXII.

PA277
.S5

VITA.

Ego Alcuinus Iustus Siegismund a. CIↃIↃCCCLI d. XXV. m. Iunii Lipsiae natus sum patre Guilhelmo matre Iohanna de gente Müller, quibus etiamnum viventibus gaudeo. Scholam frequentavi Thomanam, quae hic Ecksteinio rectore floret. Ubi cum per septem annos et dimidium moratus et dignus inventus essem, qui universitatem adirem, a. CIↃIↃCCCLXVIII m. Octobri inter huius academiae cives receptus sum philologiae studiosum me professus. Audivi viros illustrissimos Brockhausium Curtium Drobischium Ecksteinium Fechnerum Hildebrandium Klotzium Langium Leskienium Overbeckium Ritschelium Voigtium Zarnckium, seminarii philologici regii ter sex menses sodalis fui ordinarius, societatibus Ritschelii philologae, grammaticae Curtii etiamnum intersum. Omnibus autem illis viris, ut qui optime de me meriti sint, gratiam habeo quam maximam, praecipue Curtio, qui per summam suam benevolentiam me in eis potissimum studiis, ad quae haec dissertatio pertinet, adiuvit.

CAPUT I.

DE METATHESI GRAECA IN UNIVERSUM AGITUR.

§ 1.

Transmutationem litterarum — quam vulgo metathesim vocant[1]) — aliquoties in graecis vocabulis factam esse iam antiqui grammatici observarunt. Quae ex eis huc pertinent diligentissime ac doctissime Lobeckius in dissertatione sua 'de metathesi' in Elem. Pathol. I p. 489 sqq. collegit, ita ut nobis eandem rem tractaturis ab hac parte non multa addenda reliquerit[2]). Ad illorum autem de hac re iudicium cognoscendum notabilis est Apollonii locus in prooemio syntaxis c. II, 8, quem Lobeckius in fronte dissertationis posuit: *στοιχεῖα ὑπερτίθενται ἡνίκα ἡ καρδία κραδία, παρὰ τὸ σκέπω τὸ σκέπος καὶ πέσκος· ἀλλὰ καὶ συλλαβαί, ἡνίκα τὸ ἐξαπίνης ἐξαίφνης, τὸ ὄρωρεν ὤρορεν· ἀλλὰ καὶ λέξεις, ὅτε ἡ οἰνοφόρος γῆ φερέοινος λέγεται, οἱ δὲ ἀνδρόγυνοι γύνανδροι· ἀλλὰ καὶ λόγοι ʿτὰς μὲν ἄρα θρέψασα τεκοῦσά τε᾽* . . (cui loco conferas similem locum a Lob. l. l. e Maximo Planude allatum). Hinc enim perspicitur, quam non

---

[1]) Alia sunt nomina *ἀντίθεσις, ἀντιστροφή, ὑπερβιβασμός* cet., cf. Lob. p. 490. De *ὑπερθέσεως* notione v. infra § 2 extr. Transmutationis nomen legitur e. g. Quintil. I, 5, 12.

[2]) Quae ego nova e grammaticis, Hesychio potissimum, hauserim, cum in singulis non notandum duxerim, Lobeckii dissertatione collata perspiciatur.

recte illi grammatici ipsam metathesis vim et naturam intellexerint, cum hanc litterarum affectionem cum nominum compositione duplici modo facta atque adeo cum schemate illo, quod prothysteron dicitur, conferrent. Ac Lobeckius minime in eo recte fecit, quod Apollonii auctoritati tantum cessit, ut in cap. IV. 'de metathesi synthetorum' agendum putaret. Iam non mirandum est, quod illi variis generibus non distinctis, cum, quid lingua admittere potuisset, quid non potuisset, vix quaererent, metathesi sicut pleonasmo, epenthesi, aliis quas statuebant affectionibus ad verborum origines explicandas parum recte usi ac saepe abusi sunt. Sic Eustath. 143, 21 tradit: *λοιγός* (pestis) *παρὰ τὸ ὀλίγος μεταθέσει τοῦ ο ὥς φασιν οἱ παλαιοί* .. E. M. 6, 53 : *ἀνλέγω καὶ καθ' ὑπερβιβασμὸν ἀγγέλλω τροπῇ τοῦ ν εἰς γ* .. 213, 9 : *παρὰ τὸ φέρβω γίνεται φέρβος καὶ κατὰ μετάθεσιν στοιχείων βρέφος* .. quae tamquam etymologiae monstra probari non posse iam Lobeckius recte animadvertit (cf. p. 490. 514). Is autem, cum summo ingenii acumine illos superaret, tamen totam rem non ita ut nobis hodie requiri videtur, absolvit, quia spretis grammaticae comparativae praesidiis in metathesis naturam et rationem non inquisivit, id paene solum secutus, ut testimonia grammaticorum, quae sane utilia nobis et maxime necessaria sunt, congereret atque in quendam ordinem redigeret. Etsi vero praeter Lobeckium multi de singulis exemplis dixerunt et nonnulli quaedam de metathesi in universum monuerunt, quos infra commemorabo, tamen tantum abest, ut haec res iam ad liquidum perducta sit, ut non sine fructu accuratius in eam inquisituri esse videamur.

Nostra igitur de metathesi disputatio eo spectare debebit, ut congesta omni — quam quidem poterimus — materia fines metathesis et leges vel regulas quasdam, quas lingua graeca in metathesi secuta sit, describamus. Quam ad rem duo potissimum necessaria erunt:

primum (§ 2) de ipsius affectionis vi et natura et de causis, quibus ea fieri potuerit, quaeramus necesse est;

quod quantum ad propositum nostrum assequendum collaturum sit, patet.

Deinceps autem, ut metathesis ratio penitus cognoscatur, semper id diligentissime explorandum est, cum litterarum ordo in aliquo vocabulo mutatus videtur esse, utra forma primigenia, utra metathesi affecta sit. De hac quidem re pauca addenda sunt.

Cum enim per se appareat, si *ξίφος* e *σκίφος*, *κραδία* e *καρδία* prodiit, ad metathesis rationem cognoscendam hoc non idem valere ac si *σκίφος* e *ξίφος*, *καρδία* e *κραδία* prodiisset, mirum est non solum Lobeckium, sed alios quoque[3]) animum non magis eo attendisse, ut in singulis exemplis, quaenam litterarum collocatio primitus fuisset, indagarent. Quod quamvis saepe difficillimum sit, tamen sunt quaedam rationes et viae, quibus plerumque id quod volumus assequi et ad rectum de metathesi iudicium pervenire possimus.

Atque interdum hanc ad rem iam eis vocabulis, quae apud ipsos Graecos cognata exstant, satis habemus; velut in *δίφρος* — *δρίφος* (cf. § 12), cum antiquissima forma *διφορο-ς* fuisse videatur. Et ipse Lobeckius p. 501 bene *βόρμος* — *βρόμος* cum *βορά* et sim. contulit; quod si recte fecit (cf. § 4), in *βρόμος* *ρ* metathesi anticipatum esse sumendum est. Nec difficile fuit in hom. *δρατός*, *τέτρατος*, *ἔδραθον*, in *ἔπραδον* sim., collatis *δαρτός* — *δέρω*, *τέτταρες* — *τέταρτος*, *ἔδαρθον* — *δαρθάνω*, *ἔπαρδον* — *πέρδω* cet. idem metathesis genus cognoscere. Ad eiusmodi autem exemplorum analogiam rationem aliorum perspicere iam Lobeckius potuit, si id secutus esset[4]).

---

[3]) E. g. Kuhnius 'Ztschr.' V, 217, cum *κρίκος* formam usitatam pro antiquiore haberet, eam facilis pronuntiationis causa in *κίρκος* versam putavit. Qua in re vir clarissimus valde erravit, quoniam *κίρκος* = lat. *circus* ipsa est antiquior forma, e qua *κρίκος* prodiit. Cf. infra §. 4. n. 4.

[4]) Is tamen, cum in *ἔδραθον*, *ἔπραδον* ipse vix de *ρ* littera anticipata dubitaret, in *ἔδρακον* et *ἔπραθον* aoristis prorsus similibus non eandem

Nonnumquam quidem ille etiam latina vocabula comparavit, velut *cornus* cum *κύρνα — κρανία* p. 501, *terreo* cum *ἔτερσε*, quae antiquior forma est pro vulgari *ἔτρεσε*, sim.; cum vero ne haec quidem ad metathesis rationem perspiciendam conferret, tum in aliis perspicuum est eum errasse. Sic p. 495 affert pro *τρέπω* nonnullos *τέρπω* dixisse, quasi haec forma ex illa prodierit. Sed collato lat. *torqueo* (cf. § 4 n. 20) videbimus eas formas, in quibus *ρ* vocalem sequitur antiquiores, ipsas usitatas formas (*τρέπω* cet.) metathesi affectas esse. Iam intellegis, quanti momenti illud sit ad recte de metathesi iudicandum. Quod enim deinceps apparebit linguam graecam maxime ad liquidas vocalibus praeponendas propensam esse, rarissime vocales liquidis praeponi — quae genera a natura contraria Lobeckius nusquam acriter distinxit — illo quoque exemplo firmabitur.

Iam vero cum omnino in etymologia graeca ne latinis quidem vocabulis comparatis acquiescere possimus, sed omnes linguas cognatas adhibere debeamus, tum hac in re aliud quid accedat necesse est. Nam si quis e. g. dubitaverit, num nos recte in *τρέω*, *τρέπω* sim. liquidam praepositam esse statuamus, quoniam fortasse in illis pristinus litterarum ordo servatus, contra in lat. *terreo*, gr. *ἔτερσε*, lat. *torqueo*, gr. *τέρπω* vocalis praeposita esse possit, haec et similes dubitationes ita removendae erunt, ut etiam in linguarum cognatarum metathesim inquiramus. Sed haec iam ad singula genera pertinent, quae infra tractabimus.

Nunc id addam, sicut auxilio linguarum cognatarum metathesis graecae rationem cognoscemus, ita illo demum multa exempla, ubi primarius litterarum ordo apud Graecos iam non servatus conspicitur, conferre poterimus. Denique de eis quoque exemplis, quorum ratio Lobeckium non prorsus

---

metathesim factam, sed pristinum litterarum ordinem servatum esse statuit, nimium sane confisus grammatico, secundum quem *δρῶ κατὰ παραγωγὴν δρέκω κ. ἐν ὑπερθέσει δέρκω* .. et *πρῶ πρήθω πέρθω* .. (v. p. 496). Sed quin omnes illi aoristi (cf. §. 6) metathesim passi sint, dubitari omnino nequit.

fugerat, nonnumquam rectius iudicabimus. Sic ille in ἔρδω et ῥέζω verbis iure profectus est ab eis formis, quae γ exhibent, ἔργον, ἔρξω sim.; sed rectius iudicabimus, si collatis got. *vaurkjan* theod. *werk* cet. illis radicem ϝεργ subiectam esse et ῥέζω ad *ϝεργjω, *ϝρεγjω redire meminerimus. Hinc enim apparet ρ primitus non ad ipsum vocabuli principium esse translatum; id quod ad metathesis rationem non nullius est momenti, quoniam illud genus, in quo vocalis et liquida in principio alicuius vocabuli positae commutantur, certos suos et angustos fines habere videbimus.

Sed ne plura de via ac ratione, quam solam nobis ineundam esse iam nemo sit quin videat, — nunc eos commemorare liceat, qui praeter Lobeckium imprimis ad hanc rem, quam tractandam proposuimus, aliquid attulerunt.

Ac primum inter illos locum Dietrichius obtinet, qui in commentatione 'De litterarum in lingua latina transpositione' (Numburgi 1846) omnium maxime id secutus est, ut auxilio linguarum cognatarum, quae singulis vocabulis formae primariae subiectae essent, quaereret ac metathesis genera et fines distingueret. Qua in re quamvis non omnia recte expediverit, tamen multa primus observavit et, quoniam latina potissimum nobis conferenda sunt, etiam de nobis bene meruit. Deinde Ritschelius in Musei Rhenani tt. VIII. et IX. (cf. opusc. II, 528 sqq.)[5]) quaedam metathesis exempla Graecis et Romanis communia tractavit. Is vero, quamquam in singulis quibusdam summam eius auctoritatem sequi nequimus, maxime eo nobis laudandus est, quia ut in aliis rebus sic in hac re Romanorum et Doriensium artiorem esse cognationem vidit. Tum laudandi sunt, qui de singulis exemplis egerunt — ut grammaticarum auctores omittam — Meinekius, v. Anall. Alex. p. 118 et 119, Leo Meyer, v. 'Vergl. gramm.' p. 69, 76 et maxime p. 183 sqq. (de ψ

[5]) Ego ubi Ritschelium commemoro, semper opusculorum paginas dico. Deinde hic moneam et hunc et Dietrichium et Meinekium, priusquam Lobeckii dissertatio in lucem prodiit, scripsisse.

et ξ in vocabulorum initiis collocatis), Delbrückius, v. 'Studien' I, 2, 129 sqq., alii, qui suo quisque loco nominabuntur. Maxime autem libris etymologicis utendum erat, et inter eos praecipue Curtii libro, qui inscribitur 'Grundzüge der griech. Etymologie' (ed. 3.) et Fickii lexico comparativo (ed. 2.); rarius Boppium, Pottium, Benfeyum, alios laudatos reperies. Denique hoc loco commemorandum est Pottium 'Etymol. Forsch.' I[1], 113 sqq. de indogermanarum linguarum metathesi in universum disputasse et Benfeyum 'Orient u. Occident' t. III p. 27 singularem quandam de liquidarum et vocalium commutatione sententiam protulisse (cf. infra § 2). His vero adiungam A. Kühnium, qui in dissertatione 'Ueber wurzelvariation durch metathesis' inscripta quaedam de metathesis vi et natura monuit[6]).

§ 2.

Iam ut de metathesis graecae natura et vi et de causis, quibus potissimum factum sit, ut eaedem litterae in eisdem vel cognatis vocabulis mutato ordine inveniantur, disseramus, primum occurrendum est opinioni cuidam, qua transmutatio litterarum ea, quam vulgo esse credimus, forsitan tota vita privetur. Dixerit enim aliquis fortasse non alteram de duabus eiusmodi formis ex altera ortam esse, sed ubi illud videatur, ab initio duplicem litterarum collocationem in usu fuisse. Similem certe rationem secutus Buttmannus 'Ausführl. Sprachl.' § 19 adn. 5 in quibusdam vocabulis liquidas certo suo et constituto loco caruisse suspicatus est indeque, quod poetae alias atque prosa oratio formas (cf. hom. *κραδίη, τραπείομεν* pro *καρδία, ταρπείομεν* cet.) ad-

---

[6]) Hic quidem quod sibi proposuit non videtur demonstrasse (cf. Curt. p. 68. Schleich. comp. p. 333) et in singulis quibusdam falsus est, velut cum p. 19 radicem *ϝεργ* in *ἔρδω* et *ῥέζω* variatam diceret; nam in hac radice metathesis non ad distinguendam notionem adhibita est, quod in aliis factum esse deinceps videbimus.

hibere potuissent, explicavit[7]). At vero — ut exempla praetermittam, ubi mutata litterarum collocatio non metathesi sed eo explicanda est, quod ex una forma primaria alia affectione duae formae prodierunt[8]) — tale quid nullo modo probari potest et ex rerum natura veri dissimillimum esset. Cum autem e. g. *δρατός* ex *δαρ-τό-ς*, *δρίφος* e *δί-φρ-ος* ρ transposito prodiisse in aperto sit, tum in aliis certo quodam linguarum consensu docemur ab una forma certo litterarum ordine constituta esse proficiscendum.

Tenemus igitur, quod vulgo creditur, transmutationem litterarum fieri potuisse et phoneticam esse affectionem, quam enitendum est ut tamquam auribus percipiamus et Graecorum loquendi consuetudine observata intellegamus. Ac iam Buttmannus l. l. recte commoditatem loquendi et pronuntiandi facilitatem non nihil ad metathesim valuisse observavit eiusque rei exemplum *ἔδρακον* attulit, formam cum leviorem tum pronuntiatu faciliorem quam *ἔδαρκον*. Et alia sunt exempla ita comparata, ut metathesi etiam litterarum coniunctiones omnino intolerabiles evitatas esse appareat (cf. infra § 8). Tamen illam causam non ad transmutationem explicandam sufficere facile est intellectu. Quod ut uno saltem exemplo demonstretur, hoc affero. Cum multa vocabula graeca *σπ* et *σκ* in fronte habeant, prorsus non assequimur, qua euphoniae lege e. g. *σπέλλιον*, *σκίφος* in *ψέλλιον*, *ξίφος* mutata sint[9]). Sane concedendum est aliquo

---

[7]) Quod Homerus et qui eius sermonem imitati sunt ultra vulgaris linguae consuetudinem hac in re excesserunt, id alias rationes habere infra apparebit. Cf. §. 6. Buttmannus vero omnino antiquiorem sermonem quodammodo fluctuasse putabat (cf. Curt. p. 17).

[8]) Cadit hoc in ea vocabula, in quibus de syncope cogitari potest, velut si qui *πατράσιν* non ex **παταρ-σιν*, sed ex **πατερ-ασσιν* duxerunt (cf. §. 6 n. 76). Itemque aspirationis metathesis quae videtur, nonnumquam potius ita explicanda est, ut primitus duae aspiratae fuerint, quarum deinde altera utra in tenuem abiit.

[9]) *Σπέλλιον* antiquiorem formam esse ex aliorum exemplorum similitudine concludimus, cf. dor. *ψίν*, *ψέ* pro *σφίν*, *σφέ*, *ψύττω* = lat.

tempore Graecos a σπ et σκ litterarum in vocabulorum initiis coniunctione abhorrere coepisse; id enim ex eo colligimus, quod σ aliquoties abiectum videmus. Sed quod in multis aliis exemplis σ non abiectum, sed transpositum est, ut ψ et ξ prodirent, in ea re aliam quandam causam accessisse patet. Cum vero iam Dietrichius l. l. p. 4 recte monuerit studio euphoniae, ut cuius leges ambiguae et instabiles fuerint, non multum explicari, tamen iniuria de enucleanda causa desperandum nobis esse censuit.

Nam si ea exempla, ubi liquidae vel nasales cum vocalibus commutantur, nunc excipimus — de quibus seorsum agetur —, principalis haud dubie et vera causa, qua fit, ut litterarum ordo immutetur, haec est, quod, cum in loquendo totum vocabulum in mente habeamus, facile in singulis litteris pronuntiandis properamus, ita ut unam vel etiam complures litteras priusquam debemus proferamus, quae autem omisimus — cum ea in vocabuli imagine menti impressa cum illis coniuncta sint — adiungamus. Celeritate igitur loquendi efficitur, ut, etsi quae litterae pronuntiandae sint recte sentiatur, tamen sive imagine vocabuli minus distincte animo concepta, sive loquelae instrumentis paullo impeditis in ordine litterarum peccetur[10]); quod idem sexcenties in nobis ipsis animadvertere licet, cum in loquendo erramus. Ac nonnulla metathesis graecae exempla aperte pronuntiandi errorum instar habent, eorum quidem, qui usu et consuetudine — ut fit in sermone — constituti sunt et tamquam sanciti. Huc pertinent paucissima illa exempla, ubi duarum syllabarum litterae invicem commutantur, velut

---

spuo, got. *speiva* cet. Σκίφος proxime accedit ad scandin. *scafa*, theod. vet. *scaba*, quae idem significant atque gr. ξίφη (σκίφα); radix subiecta est *skap* (cf. lat. *scabere* cet.).

[10]) Nescio an idem voluerit A. Kühnius his verbis (l. l. p. 9): Die m. hat ihren grund in einer ungenauen auffassung des lautganzen, und diese wiederum in der geschwindigkeit, mit welcher der geist von dem hörbaren zeichen zum bezeichneten, dem begriff, übergeht. (?)

ἀμιθρός pro *ἀριθμός*[11]), *Μιτυλήνη* pro *Μυτιλήνη*[12]), sim., nec minus singularia sunt ea exempla, quae liquidam vel nasalem cum vicina consona vel compluribus litteris commutatam praebent (cf. § 12), velut *Ἄτρεμις* pro *Ἄρτεμις*, *δρίφος* pro *δίφρος*, *ἄνδραγχος* pro *ἄνδραχνος*.

Sed dubitaveris, num ego recte omnem metathesim eo explicem, quod aliquid praeripiatur vel anticipetur, quoniam ipsae illae litterae, quae maxime pronae et propensae ad metathesim dicuntur, in quibusdam exemplis postpositae sint; itaque malueris in *Ἄτρεμις* pro *Ἄρτεμις*, *σπεκλοῦν* pro *σπλεκοῦν* (? — cf. § 12), *ρ*, *λ* postposita quam *τ*, *εκ* praeposita dicere. Tamen ad rem ipsam hoc prorsus nihil differt. Quod enim liquidae praecipue metathesi favent, nullo modo studio cuidam sedis mutandae eis insito tribuendum est, sed inde repetendum, quod eae cum in mediis vocabulis et sequentibus et praecedentibus consonis adiungi possint, illi properandi studio, quo confusio et transmutatio litterarum efficitur, facile cesserint itaque se cum vicinis litteris commutari patiantur. Id vero non in eis tantum exemplis valuisse apparet, ubi ipsae liquidae praeponuntur, sed in eis quoque, ubi diversi generis littera anticipata postponuntur. Etenim *δρίφος* praeposita liquida pro *δίφρος*, *Ἄτρεμις* muta praeposita pro *Ἄρτεμις*, *σπεκλοῦν* *εκ* praeoccupatis pro *σπλεκοῦν* dici potuerunt, quia facile *δρ*, *τρ*, *κρ* coniungebantur cet. Ac cum ex illo properandi studio,

---

[11]) E. M. 83, 42: *ἀμιθρῆσαι· Σιμωνίδης τὸν ἀριθμὸν ἀμιθρὸν εἶπε καθ' ὑπέρθεσιν* — v. Bergk. Lyr.[3] p. 1197, fr. 228 coll. ad fr. 125 v. 5. Callim. fr. 339 *ἀμιθρέω* verbum habet et al. testimonia v. in Steph. thes. s. v. Quin *ἀριθμός* forma primigenia sit, dubium non est, cf. Curt. p. 317. — Simile est *θίδραξ* = vulg. *δρίθαξ*; de hoc et aliis v. Lob. cap. II §. 3. Eadem est metathesis in theod. *essig* = got. *akeit*, lat. *acetum* cet. v. Pott. l. l.

[12]) Haec certe secundum veterem grammaticum (v. Lob. p. 522) forma primaria est. Similia metathesis exempla habes ap. Lob. c. II §. 4 et 5. — Fortasse interdum etiam maior litterarum perturbatio facta est, si quaedam a Lobeckio allata in usu fuisse credere licet.

ut τ, εκ anticiparentur, eam ob rem fieri posset, quia ϱ post illa commode pronuntiabatur, haec et similia exempla tamen recte ad liquidarum metathesim referemus.

Vides pronuntiandi facilitatem, quamquam non primas agit, tamen magni momenti esse in metathesi; et ex rerum natura consentaneum est, si per celeritatem loquendi litterarum ordo mutabatur, id ita factum esse, ut faciles et gratae litterarum coniunctiones prodirent. Atque in eadem re positum est, quod metathesi facta praecipue litterae continuae cum mutis coniunguntur, rarissime duae mutae conveniunt atque ibi tantummodo, ubi id sine ulla difficultate fieri poterat, velut in τίκτω, quod fortasse ex *τι-τεκ-ω, *τι-τκ-ω ortum est[13]).

Iam vero cum illa, quae supra attulimus, exempla singularia essent et quodammodo ad pronuntiandi errores accederent, plurium exemplorum similitudine certa quaedam metathesis genera in lingua graeca exstiterunt.

Ac primum dico illud genus, ubi σκ et σπ in vocabulorum initiis in ξ et ψ versa conspiciuntur[14]). Cum enim — eodem haud dubie tempore, quo Graecis vocabula a σκ vel σπ litteris incipientia minus grata et accepta esse coeperant — primum in uno vel altero vocabulo ex illo properandi studio loquelae instrumenta priusquam debebant ad π et κ proferenda parata essent itaque quasi lapsu linguae ψ et ξ prodiissent, deinceps aliis vocabulis eandem rationem sequentibus hoc metathesis genus legitimum tamquam et sui iuris est factum. Similiter vero in ceteris

---

[13]) Sic Grassmannus KZ. XI, 43 statuit; sed nescio an Curtius Et. p. 628 rectius τίκτω e simplici rad. τεκ τ littera formatum et ι ex ε ortum esse dixerit.

[14]) Si σ interdum etiam cum aliis litteris commutatum est, ut in σπεργύς, quae forma pro πρεσγύς exstitisse traditur (v. § 8), haec ad singularia illa pertinent, de quibus modo diximus. Sed latius patet in dial. aeolica ζ litterae in σδ conversio, cf. σδύγον pro ζυγόν et sim. Ahr. p. 47.

quoque generibus metathesim paullatim increbruisse et usu firmatam esse sumendum erit.

Deinde non rara sunt exempla aspirationis e sequente syllaba ad praecedentem translatae[15]), velut in θρέψω pro *τρεφ-σω, θάσσων pro *ταχ-jων, θοιμάτιον pro τὸ ἱμάτιον; quae translatio quam facile fieri potuerit, neminem fugiet, qui de pronuntiatione aspiratarum cum Curtio (Et. p. 388) consentit. Alii quidem dubitant, num omnino metathesis aspirationis fuerit; qua de re non est huius loci disputare.

Etiam de semivocalium j et ϝ metathesi (in μέλαινα pro *μελαν-ja, νεῦρον pro *νερϝο-ν cf. lat. *nervus*, sim.) dubitatur, cum plerique hanc ad epenthesim sive assimilationem, quae in εἰνί pro ἐνί, πουλύς pro πολύς cernitur, revocent. Atque haec quoque controversia ad alium locum pertinet. Utut autem iudicabis, hoc certum est, etiam in illa sive metathesi sive epenthesi cognosci quod diximus, loquelae instrumenta saepe maturius ad proximas litteras proferendas componi[16]).

Iam vero quaeritur, num eadem sit ratio eius generis, ubi liquidae et nasales cum vicinis vocalibus commutantur, id quod plerumque sic fieri videbimus, ut ipsa liquida vel nasalis anticipetur et proximae consonae adiungatur. Cum vero per se bene cogitari possit e. g. κραδία eadem illa vi, quam in ceteris metathesis generibus valere vidimus, ac subita ρ litterae anticipatione e καρδία prodiisse, tamen hoc in genere fortasse principalem metathesis causam non externam illam, sed in ipsarum liquidarum et nasalium

---

[15]) Num aspiratio umquam metathesi in sequentem syllabam remota sit, valde incertum est. Sed fieri potuit haud dubie, ut, cum in praecedente syllaba aspirata, in sequente tenuis proferenda esset, qualitas litterarum commutaretur.

[16]) Christius 'griech. lautl.' p. 64 νεῦρον et sim. ad liquidarum metathesin rettulit, quasi in his ρ simili ratione postpositum atque in καρδία — κραδία praepositum esset. Quod cur probari non possit, facile perspicitur.

natura positam fuisse statuendum erit. Nam hae, quae maxime syncopae favent, eaedem facillime *ἀνάπτυξιν* admittunt i. e. vocalem ex se explicant; id autem eam ob rem fieri potuit, quia non clausura in aliqua oris parte facta, sed spiritu per quasdam angustias paullatim edito proferuntur, ita ut vocalis sonus facile perlabi tamquam et penetrare possit; quare ipsae illae quendam vocalis sonum continere posse dicuntur[17]). Itaque *καρδία* per formas intermedias **καρᵃδια* — (**καραδια*) — **κᵃραδια* in *κραδία* transiisse conicere licet. Quam ad rem firmandam non solum *σφάραγος* a rad. *sparg*, scr. *spûrǵ* (Curt. 176), *σκόλοψ*, *σκολύπτω* = lat. *sculpo* (ib. 57), sim. faciunt[18]), ubi metathesis tamquam in media via substitisse videatur, — sed nonnumquam etiam in eisdem vocibus metathesim et hoc modo tentatam et totam perfectam conspicimus. Sic est a rad. *μαλκ*:

μαλκ-ό-ς (*μαλακός* expl. Hes.) — *μαλακ-ό-ς* — *βλάξ*, *βλακία* (pro **μλακ-ς*, **μλακ-ια*) cet., cf. § 5 n. 69.

a rad. *ταρχ*: *ταρχ-ή* (Hes.) — *ταραχ-ή*, *ταράσσω* (pro *ταραχ-jω*) — *τέ-τρηχ-α*, *θράσσω* (pro *τραχ-jω*) cet. cf. § 4 n. 33 sim.

Eodem vero spectant, quae Benfeyus 'Or. u. Occ.' l. l. de metathesis natura protulit. Is enim p. 24 sqq. docte et subtiliter exposuit in veterrima Indorum lingua interdum vocalem post *r* esse interpositam, velut in *akârashît* pro *akârshît*, *akârisham* pro *akârsham*, *tarasanti* pro **tarsanti* (vulg. *trasantî*), *huruta* pro *hurta* sim. —, recteque zend. *dadareça* = scr. *dadarça*, *bharęthrîm* = scr. *bhartrîm*, alia contulit, nec minus recte vocales caninas *r̥* et *ere* — cf. scr.

---

[17]) Cf. Bruecke 'sprachlaute' p. 31, et Curt. p. 676: 'Genauer betrachtet ist der einschub (von vocalen bei liqu. u. nas.) eine vollere entfaltung jener in den genannten tönenden lauten wahrnehmbaren stimme, die auch vorgeschobne vocale vor ihnen erzeugt. Auf demselben grunde beruht die häufigkeit der metathesis bei denselben lauten.

[18]) Plura exempla habes apud Walterum 'über vocaleinschiebung im griech.' KZ. XI, 428 sqq. XII, 375 sqq. et 401 sqq.

kṛ-ta-s, zd. *kere-to* = indog. **kar-ta-s* — eodem pertinere animadvertit. Hinc vero ita concludit: 'Im allgemeinen werden wir den wechsel von *ar* und *ra* oder deren reflexen vor consonanten, wie er z. b. auch in scr. *mard* — *mrad* und unzähligen anderen in allen indogermanischen sprachen erscheint, in deren alten formen aus der (vermittelnden) aussprache *ara* erklären und damit für *r* und *l* die annahme der metathesis wenigstens aus den alten entwickelungen dieser sprachen verbannen'. Itaque Benfeyus e. g. scr. *grabh* (*capere*) ex *garbh* (in *garbha-*) collato zd. *gerewa-* per formam intermediam **garabh*, atque eadem ratione gr. *φλέγω* lat. *flagro* ex indog. **bhary* cet. orta esse putat, ita ut primum anaptyxis, deinde syncope facta sit. Quamvis vero mihi duae illae affectiones arte cohaesisse nec formae intermediae nisi in paucis vocabulis diutius usu venisse videantur[19]), tamen de summa rei non possum quin Benfeyo assentiar.

Est enim magnum discrimen inter cetera metathesis genera et hoc genus, quod illa ad recentiora tempora pertinent et vix pauca exempla ad complurium linguarum communionem redire videntur[20]), liquidarum et nasalium cum vocalibus commutatio iam antiquissimis temporibus admissa est, ut infra apparebit. Atque haud dubie concedendum est illud properandi studium antiquissimis temporibus non tantum valuisse, quantum idem recentiore tempore — cum vocabulorum formae magis magisque attenuentur et minuantur — valere videmus[21]). Cum vero hac de causa initium cepisse hoc metathesis genus

---

[19]) Sic ex **ταρχ-jω*, **ταρ^{a}χ-jω* aut **ταραχjω* vocali antea irrationali plene prolata, aut **τ$_{a}$ραχjω*, **τραχjω* prodiit.

[20]) Nam quod, sicut Graeci σκ in ξ, Indi *sk* in *ksh* mutaverunt et ut illi metathesim aspirationis admiserunt, in eo utrisque posteriore tempore convenisse puto, quod quidem hoc loco longum est demonstrare.

[21]) In recentioribus dialectis cuiuslibet generis metathesis saepius occurrit. Cf. de lingua latina vulgari Schuchardt 'Vocalismus' I 139 II 527, de linguis Roman. v. Dietz gramm. I 191. 208, Ebert in Ritschelii opusc. II 540 adn.

ab anaptyxi vocalium concedamus, tamen posteriore tempore perinde atque in ceteris generibus illud properandi studium plurimum valuisse existimamus. Ut igitur in *Ἄρτεμις — Ἄτρεμις* ρ litterae cum τ commutationem, cum primum fieret, uno temporis momento factam esse constat, ita *τέρατος* ex *τέταρτος, ἔδρακον* ex *ἔδαρκον* sim. — quae sero admodum metathesim passa sunt — subito et, ut ita dicam, sine ambagibus prodire potuerunt.

Iam facile vides rem aliam esse in initiis vocabulorum. Ibi enim cum littera anticipata non haberet, quo se acclinaret, cum rarissime vocalis cum liquida vel nasali commutata est, tum illud, ubi constat, non subito factum esse probabiliter suspicabimur itaque e. g. *ἁρπάζω* ex **ϝαπαζω* (= lat. *rapio*) per formas intermedias **ἁραπαζω — *ἁρ^α^παζω* prodiisse statuemus. Sed de hoc et similibus exemplis in § 11 accuratius agendum erit.

Creberrima ea exempla sunt, in quibus et praecedente et sequente consona liquida vel nasalis vocali praeponitur, velut in *κ-αρ-δία — κ-ρα-δία* sim. Cum vero in his syllabae antea positione longae apertae et plerumque breves evadant, in hoc quoque genere studium illud formas graviores sublevandi et exonerandi — quod idem semper in lingua valere videmus — cognoscitur. Itaque etiam hoc intellegimus, quomodo fieri potuerit, ut metathesis nonnumquam admitteretur ubi litterarum coniunctiones pronuntiatu difficillimae nascebantur. Sic *βροτός* mortalis — interiecta haud dubie forma **μβροτος* (cf. *ἄ-μβροτος*) ex *μορτός, βλάξ* simili modo ex **μαλκ-ς, ῥοφέω* (pro **σροφεω*) ex **σορφεω* (= *sorbeo*) sim. (cf. § 4 n. 48 sqq.) prodierunt, cum iam *μρ, μλ, σρ* alioquin vix usquam in vocabulorum initiis coniungerentur. Etiam mirum est, quod, cum nasales rarius quam liquidae metathesim patiantur, interdum fortasse pro *n* adulterino vel *m*, quod vocalem sequebatur, dentalis nasalis praeposita est, velut in *κνῆκος* pro **kn̄ko-s, κνέφας* pro **skampas*, v. § 9. Quod quamvis e rationibus physiologicis difficile est intellectu, tamen negari

vix poterit. Potest quidem nasalis ante labiales et gutturales diverso modo proferri, potest prope ad sequentis consonae naturam accedere, ita ut ipsa parum distincte proferatur, potest etiam, cum linguae acies forte dentibus superioribus appropinquatur, non multum a dentali nasali abesse. Hoc autem in illis exemplis statuendum sit, ut miram illam metathesim factam esse credamus.

Raro liquida vel nasalis cum vicina vocali commutata est, cum vocalis sequebatur, velut in dor. *τετρώκοντα*, quod e **τετορ-ηκοντα*, **τετρο-ηκοντα* ortum est; nec mirum est illas binis vocalibus circumdatas sedis tenaciores fuisse, cum metathesi facta vocalium concursus, non semper gratus, fieret. Cf. infra ad § 4 n. 33.

Paucissima autem exempla illud genus habet, ubi vocali anticipata liquida postposita est, sicut in *βάρδιστος* pro *βράδιστος* (v. § 8) videtur; nasales fortasse ne semel quidem postpositae sunt.

Sed haec hactenus. De vocalium transmutatarum affectionibus, quae non ad ipsius metathesis naturam describendam pertinent, infra videbimus.

Lobeckius veteres grammaticos in eo sequitur, quod duo potissimum metathesis genera distinguit, quem ad modum est apud Gregor. Cor. 469: *διαφέρει μετάθεσις ὑπερθέσεως, ἡ μὲν γὰρ ἐν τῇ αὐτῇ συλλαβῇ γίνεται, ἡ δὲ ὑπέρθεσις ἐν τῇ ἑτέρᾳ, ὡς τὸ νοθεῖος ὀθνεῖος*. Seiunctim autem ille (in cap. III.) metathesim aspirationis et quantitatis tractavit. Nobis facile intelleges descriptionem generum, non ex illo metathesis et hyperthesis discrimine ab externa vocabulorum specie petito proficisci posse. Cum enim quaedam potissimum litterae — quarum suam quaeque rationem habent — ad metathesim aptae sint, primum illarum natura et cognatio respiciendae videntur; altero loco id habendum est, quibuscum aliis litteris, cum vocali, an cum consona, an cum pluribus litteris singulae commutentur.

Nunc autem accedendum est ad liquidas et nasales, quas primum tractandas mihi proposui, quae, cum paene eandem in metathesi rationem sequantur, coniunctim tractari et debent et commode possunt.

CAPUT II.

DE LIQUIDIS ET NASALIBUS.

A. De liquidarum et nasalium cum vocalibus commutatione, quae fit in mediis vocabulis.

I. Liquidae praeponuntur.

§ 3.

Cum in § 1 ad metathesis rationem cognoscendam id potissimum opus esse viderimus, ut auxilio linguarum cognatarum, quae singulis vocabulis formae primariae subiectae sint, exploretur, iam in hoc genere primum respiciendum est in omnibus linguis indogermanis ab antiquissimis temporibus liquidas vicinis vocalibus praeponi potuisse, rarissime autem vocales anticipari. Iam vero manifestum est, si aliquoties in eodem vocabulo complures linguas seiunctim metathesim admisisse apparebit, non semper eum litterarum ordinem, in quo plures linguae consentiunt, pro primitivo esse habendum, quoniam, cum in omnibus formis cognatis metathesis facta sit, in una tamen pristinae conditionis vestigium servari potuit. Ac maxime cavendum est, ne inconsulto formas antiquiores linguae sanscritae tribuamus, quae et ipsa liquidarum anticipationem admittit. Ab hac autem parte Dietrichius nonnumquam falsus est, qui e. g. p. 8 in gr. *τρέω* (rad. *τρεσ*) litterarum ordinem servatum, in lat. *terreo* (rad. *ters*) vocali praeposita mutatum esse e scr. *tras-ati* colligit. At iniuria. Cum enim, quae neglegi non debent, pers. *tarç*, zend. *tareç*,

tars-ta (= scr. *trasta* territus) vix ex indog. **tras* prodire potuerint[22]), formam primigeniam **tars*, graecoitalam **ters* fuisse statuendum erit. Maximi igitur momenti in formis primariis eruendis erit dignoscere, quas leges singulae linguae in his rebus secutae esse videantur.

Ac primum, ut exempla liquidarum anticipatarum spectemus, e lingua sanscrita addenda sunt quaedam verborum formae velut inf. *drash-ṭum*, fut. *drak-shjâmi*, aor. *a-drâk-sham* a rad. *darç*, *sprash-ṭum* cet. a rad. *sparç* (al. v. Bopp gramm. sanscr. § 34*c*, Benfey l. l. p. 28). In quibus cum id haud dubie non nihil valeret, quod plurium consonarum coniunctio evitanda erat, in aliis haec causa non fuit, ut in *vra-ta-m* a rad. *var* vereri, v. Curt. 536, *vraǵa-s* a rad. *varǵ* ib. 171, comp. *drâghîjans* ad *dîrgha-s* = δολιχός ib. 181, *hri-ku-s* = χαλκός ib. 182, *mri-jatê* (moritur) a rad. *mar* (in dial. ved. *mar-ati*, v. Fick. 148) al.

Neque in lingua bactriana exempla praepositi *r* desunt; cf. *brav-ara* cum *baourva* (cibus), scr. *bharv*, gr. φέρβω cet. (Fick. 136), *draj*, *drazh-aiti* cum *dareç* (figere) = scr. *darh* (v. ib. 267), *trâf-aṅh* cum rad. *tarp* = satiare (v. infra § 4 n. 22.), sim. — tamen rariora sunt, quoniam *ar-* multo saepius in *are-* vel *ere-* abiit.

Inter linguas europaeas μεταθετικώταται sunt linguae slavicae, in quibus saepissime liquidas praepositas videmus, ubi Germanorum et Lettorum linguae proxime cognatae pristinum litterarum ordinem retinuerunt. Ac dudum observatum est (v. Schleicher 'kirchenslav.' p. 67) illic hanc metathesim sequente consona paene constantem et legitimam esse. Cf. sloven. *vlȁkŭ* — lituan. *vilkas* — got. *vulfs*, sloven. *zrŭno* — lit. *żirnis* — got. *korn*, slov. *plŭkŭ* — lit. *pulkas* — theod. *folc*, slov. *prasę* — lit. *parszas* — theod. *varh* (porcus) al. Iam vides, si quaeritur, utrum in graeco aliquo vocabulo

---

[22]) Nullum enim exemplum reperire potui, ubi in lingua persica vocalis liquidae metathesi praeposita videretur; zend. *-are-* semper est pro *-ar-*.

metathesis facta sit, necne, ex lingua slovenica de forma primitiva nihil colligere nos posse; aliquoties autem et graecam et slovenicam formam metathesi affectam esse statuendum erit.

Sed linguae germanicae et letticae, quas saepe litterarum ordinem, ubi lingua slovenica eum mutavit, servasse vidimus, tamen et ipsae ad liquidas praeponendas propensae sunt. Cf. theod. vet. *hraban* = *corvus* Curt. 146, ags. *hrif* — quod Fickius p. 38 recte cum scr. *krp*, zend. *kehrpa-*, lat. *corpus* composuit —, got. *thraf-stjan* a rad. *tarp* (v. § 4 n. 22), *gredus* = scr. *gardhas* a rad. *gardh* v. Fick. p. 61, *hlija* = gr. *καλιά*, lat. *cella* sim.[23]), lituan. *strazdà-s*, boruss. *treste*, island. *thröstr* = scr. *tarda-s*, lat. *turdus* v. Fick. p. 79., lit. *srebjù* pro *surbjù* = lat. *sorbeo* cet.

Neque in linguis celticis eiusdem generis exempla desiderantur, cf. hibern. *cride* = lat. *cord-* gr. *καρδία* cet. (v. § 4 n. 12), cambr. *treb* = got. *thaurp* lat. *turba* gr. *τύρβη* Curt. 213., hibern. *bran* corvus = lituan. *vàrnas* sloven. *vranŭ* (Schleicher comp. p. 285) al. In his enim nullo modo, quia duae linguae in liquida praeposita consentiant, **vrana* pro forma primaria habere licet, quasi in lituan. *vàrnas* vocalis anticipata sit; sed quoniam hoc raro vel etiam numquam in lingua lituanica factum est, iam secundum id, quod de linguis slavicis monuimus, statuendum esset et vocabulum hibern. et sloven. metathesi affectum esse —, etiamsi scr. *varṇa-s* color non cognatum videretur. (Hoc Schleicher comparat 'kirchensl.' p. 125.)

Apud Latinos quamquam aliquoties litterarum collocatio servata est, ubi Graeci eam immutaverunt, tamen minime rara sunt exempla liquidarum anticipatarum. Huc enim pertinent: *gravis* ex **garu-i-s* = scr. *guru-s* gr. *βαρύ-ς*. v. Curt. p. 433, Dietr. p. 8, *granum* = got. *kaurn* gr. *γῦρις* Curt. 167, *trames* a rad. *tar*, cf. *terminus* sim. ib. 209, *lutum* pro

---

[23]) L. Meyer 'gotische sprache' p. 280 recte perspexit *kr*, *gr*, *kl* cet. saepe non ab initio in frontibus vocabulorum goticorum collocata fuisse.

**hlu-tu-m* cognatum cum *helvus* cet. ib. 191, *stlo-cu-s* (*locus*), quod Fickius p. 212 cum scr. *sthala-m* cet. composuit[24]), al.

Quantum autem Indogermani ab initio in hoc metathesis genus inclinaverint, ex eo perspicuum est, quod in quibusdam exemplis complures linguae cognatae ita conveniunt, ut metathesis ad illud tempus, quo eae nondum seiunctae exstabant, pertinere videatur. Sic ante Indogermanorum discessum metathesis facta videtur in *fratris* nomine a rad. *bhar* ferre ducto (v. Bopp. 'Vgl. Gramm.' III[3] 189. Curt. 284. Fick. 142 al.), cf. scr. *bhrâtar*, zd. *bratar*, gr. *φράτηρ*, lit. *broterẽlis*, sloven. *bratrŭ*, got. *brothar*, hibern. *brathir*. In tanto enim omnium linguarum cognatarum consensu singulas seiunctim formam primigeniam *bhar-tar* metathesi immutasse nemo credet. Sed ut alia, quae sunt eiusdem generis, mittamus, quaedam exempla Graecis et Latinis communia adferre lubet. Sic lat. *creare* pro **cre-ja-re* et gr. *κρα-ια-ίνω* ad stirpem **kraja-* a rad. *kar* derivatam redeunt et lat. *rep-ente* gr. *ῥέπω* e graecoit. **verpo* — **vrepo* = lit. *vìrp-iu* ducta sunt (v. Curt. 147. 327). *Λάκος*, *λακίς* (*ῥάκος* aeol. *βράκος*) et lat. *lacer* (pro **vlacer*[25]) probabiliter cum scr. *vraçk'* ad indog. **vark* revocantur (Curt. p. 152), quae radix paene intacta videtur inesse in scr. *vṛka-s* lupus (L. Meyer 'Vgl. Gramm.' I, 361). Cum vero *vṛka-s*, lituan. *vilkas* cet. (v. Schleicher 'Beitr.' I, 6) ad indog. **varka-s* redeant, vix dubium esse potest, quin inde *λύκος* et *lupus* eodem modo quo *λάκ-ος*, *lac-er* e rad. *vark* orta sint. Notabilis est transitus *a* vocalis in *u*—*v*, qui haud dubie priusquam *l* transponeretur factus est cuiusque exempla graeca cognoscemus in § 7. Hoc loco conferantur formae *skalp* (lat. *scalpo*) — *skulp* (lat. *sculpo*); e quibus si *γλάφω* et *γλύφω* ducta sunt (Dietr. l. l. p. 15. Corssen 'Nachtr.' 178)

---

[24]) Corssenus 'Beiträge' p. 463, 'Ausspr.' I[2], 810 frustra videtur oblocutus esse. Nam quod is e. g. dicit, radicem *sta* alias semper *st* servare, nullius momenti est, cum alias non *stl* metathesi conveniant.

[25]) De lat. *l* pro **vl* substituto v. Corssenum I, 312. 810.

— quod propter significationis congruentiam verisimillimum est —, in his quoque antequam Graeci et Latini discesserunt, metathesis facta videtur, quoniam propter elementorum similitudinem lat. *glaber* et *glubo* seiungi vix possunt (cf. Curt. 168)[26]). Aliud exemplum gr. *φλέγ-ω*, lat. *flag-ro* adiungam, quae ad graecoit. **bhalg* — **bhlag* revocanda sunt. Ad primariam radicis formam **bharg* propius accedunt scr. *bhargas* splendor, lat. *fulg-eo*, got. *bairhts δῆλος*, — metathesis facta est in scr. *bhrâǵ* splendere, theod. *blichu*, lituan. *blizgù* (v. Curt. p. 177). Iniuria autem Fickius p. 142 radicem indog. *bhrâg* statuit. Nam scr. *bhrâǵ*, quo ille ductus est, fortasse ipsa producta vocali metathesim prodit (cf. infra § 11), scr. *bhargas* autem et got. *bairhts* vix ad radicem, in qua liquida vocali primitus praecedebat, revocari possunt[27]).

---

[26]) Quam Pottius de radd. *scalp-sculp* et *γλαφ-γλυφ* protulit sententiam, eam iure improbavit Curtius p. 58, qui dubitat eas ad unam eandemque originem revocare. Sed *skalp-skulp* metathesi in *sklap-sklup* versis facile *s* littera conticuit, at haud dubie non subito conticuit, sed antea in molliorem sibilantem (*z*) abiit. Iam ex **zklap* assimilatione *k* litterae **zglap*, itemque ex **zklup* : *zglup* eo facilius prodire potuit, quia *l* sequebatur; cf. *γρομφάς* = lat. *scrofa* (Curt. p. 656) *γρῖφος* = lat. *scirpus* (v. infra § 7), *γρύτη* = lat. *scruta* Benfey I, 211 al. v. Fick. 'Or. u. Occ.' III, 284. Quod deinde in gr. *γλαφ-γλυφ p* aspiratum est nihil habet offensionis, nec quod in lat. *glab-er, glub-o p* in *b* emollitum est analogiis caret, v. L. Meyer gr. I, 41. — Walterus KZ. XII, 381 *γλύφω* et *sculpo* componit, sed lat. *glubo* propius ad gr. *κελυφή* (= *'schale'*) accedere putat, et recte propter significationem. Ad originationem hoc nihil differt, quoniam *κελυφή* ex eadem rad. *skulp* ortum videtur. — Aliter Grassmannus KZ. XII, 89 de his radd. iudicavit.

[27]) Cum rad. *bharg* primitus splendendi notionem habuisse videatur, apud Graecoitalos metathesis ita facta est, ut forma transmutata flagrandi notionem ascisceret, cum antiquior forma in lat. *fulgeo* servata pristinam vim retineret. Itaque etiam significationis congruentia, quae inter lat. *flagro* et gr. *φλέγω*, *φλεγέθω* intercedit — haec enim proprie ac fere semper flagrandi notionem habent — testimonio est in utriusque linguae vocabulis metathesim ad eandem originem redire. — De *φλέγος* voce v. § 5 n. 66.

Nam illud metathesis genus, in quo vocalis liquidae vicinae praeponitur — de quo nunc paucis exponendum est — omnino rara habet exempla et ad recentiora potissimum tempora videtur pertinere. Cum enim liquidas iam antiquissimo tempore praepositas esse ex eo collegerimus, quod saepius complures linguae in eodem exemplo eam metathesim communem habent, in hoc altero genere tale quid non animadvertitur[28]). Saepe autem nobis de liquidarum et vocalium transmutatione quaerentibus, eam ob rem difficultas et dubitatio movetur, quia alioquin saepissime liquidas anticipatas videmus indeque facile — et plerumque haud dubie recte — adducimur, ut eas formas, in quibus liquida vocalem sequitur, non metathesim passas esse, sed ordinem litterarum primigenium servasse putemus.

Cum igitur habeamus, ut exemplum ponam, scr. *parḱ* (miscere, iungere), aor. *aparḱît* cet., — sed *praç-na-s* (canistrum) gr. *πλέκω*, lat. *plecto*, *plico*, got. *flahta*, sloven. *pletą* (Curt. 157), primo quidem obtutu aliquis scr. *parḱ* vocali praeposita ex **praḱ* ortum esse opinatus sit. Sed si recte a Curtio l. l. *πόρκος* (rete) et a Waltero KZ. XII, 378 adn. lat. *Parca* huc revocata sunt[29]) — id quod mihi verisimile videtur — potius in his et scr. *parḱ* litterarum ordinem servatum, contra in ceteris illis formis metathesim factam esse statuemus. — Nec recte Fickius p. 127 in got. *faur*, *faura* (theod. *vor*) collatis cum scr. *pra*

---

[28]) Neque apud ipsos Graecos exempla, in quibus vocali inter mutam et sequentem liquidam interposita hoc metathesis genus tamquam tentatum videatur, in luce sunt posita. Eo suspicatus sis *χάλαζα* (pro **χαλαδ-ja*) pertinere, quocum scr. *hrâd-uni* (tempestas), zend. *zrâd* (crepare) lat. *grando* sloven. *gradŭ* (= *χάλαζα*) haud dubie cognata sunt (v. Curt. p. 186). Tamen illud minime certum est, quoniam radix his vocabulis subiecta **ghrad* e primaria rad. *ghar* sonare accedente *d* littera composita (**ghar-d*) videtur, v. Fick. p. 72. Itaque haud scio an rectius in *χαλαδ* alterum *α* interpositum, in linguarum cognatarum formis liquidam anticipatam esse statuamus.

[29]) Haec et *r* et antiquiorem litterarum collocationem retinuerunt, cum ea cum plectendi verbo cohaerere iam non sentiretur.

zd. *fra*, *frâ* gr. πρὸ lat. *pro* slav.-lit. *pra*, et ad indog. **pra* relatis, de vocalis anticipatione cogitasse videtur. Quamquam enim haud dubie linguarum cognatarum formae ad indog. **pra* redeant, got. *faur*, *faura* cet. cum scr. *pur-as*, *pûrva-*[30]), zend. *paourva-* sim. conferenda sunt, quae formae e stirpe *para-* in scr. superl. *para-ma-* servata prodierunt. Itaque ne in saxon. *forma* quidem nec in lituan. *pirmas* vocalem anticipatam esse credere licet, in quibus prior vocalis perinde atque in got. *fruma*, gr. πρόμος (v. Fickium l. l.) altera per syncopen absumpta est[31]). Eandem rationem inter lituan. praep. *pirm* et got. *fram* intercedere statuendum erit. — Quod vero francog. *pour*, umbr. *per* (? — v. Curt. l. l.) e lat. *pro* vocali praeposita orta sunt — primum, nisi fallor, in compositis, *poursuivre* e *prosequi*, umbr. *perne* e *prone* (?) — ad illam quaestionem nihil valet, quoniam in his potissimum rebus semper acriter distinguendum est inter ea, quae recentiore tempore et ea, quae antiquis temporibus fieri potuerint.

Multo autem difficilius est decernere, utrum lat. *tertius*, aeol. τέρτος, boruss. *tirtis*, scr. *tṛtîjas* cum zd. *thrityo* gr. τρίτος, lit. *tréczas* got. *thridja* ad indog. **tri-ta* revocanda sint, an fortasse aliter statuendum videatur. Quamvis enim concedamus τέρτος e τρίτος eodem modo quo Πέρραμος e

---

[30]) Curtius quidem *pûrva-* e *pra-va* ortum putat p. 267. Sed etiamsi concedendum sit interdum in lingua sanscr. vocalem esse anticipatam — quamquam ego nullum exemplum reperire potui —, nullo modo id in *pur-as* sim., in quibus vocalis (suff. *as*) sequebatur, statuere licebit. — Ceterum indog. praep. **pra* ex eadem illa stirpe *para-* formata erat, v. Bopp. 'Vgl. gramm.' III[3], 500.

[31]) Non recte Fickius praeter indog. superl. **parama-* etiam **prama-* exstitisse statuit. Nec recte lat. *prîmus* huc revocavit. Nam cum apud Graecoitalicos pristina superlativi forma interiisset — gr. πρόμος peculiarem quandam notionem ascivit — denuo superlativus e praep. *pro* formatus est, apud Graecos πρῶτος, apud Romanos *prîmus* pro **prei-mus* cet. Cf. Corssenum A. I, 780, ubi tamen fortasse non omnia recte disputata sunt. — Varias linguarum german. formas collectas habes ap. Diefenbach. 'got. wtb.' I, 353; cf. Grimm. gr. III, 626 sqq.

Πρίαμος — ita scilicet, ut primum ε ante ρ nasceretur, deinde ι *(j)* interiret — fieri potuisse, et quamvis lat. *tertius*, scr. *tṛtîjas* bor. *tîrtis* ex indog. **trita* manare potuerint, tamen una forma dialecti, quae Pâli vocatur, aliam videtur viam monstrare[32]). Ibi enim est *tatija-* forma, secundum leges illius dialecti haud dubie ex **tartija* nata, v. Benfeyum 'Or. u. Occ.' l. l. p. 34 not. Iam cum numerus ternarius (indog. st. *tri-*) ad antiquiorem formam **tari-* redire videatur (v. Bopp. l. l. II[3] 67 sqq.)[33]), conicere licet numerum ordinalem antiquissimis temporibus **tari-ta-* audisse, hanc autem formam — cum in numero cardinali iam ante Indogermanorum discessum syncope facta esset — in singulas linguas transiisse. Quod si recte coniectum est, deinceps in aliis *i*, in aliis *a* vocalis syncope delituit. Ac similiter statuendum esset lat. *ter* non ex **tris* = scr. *tris* gr. *τρίς* ortum esse, sed una cum illis ad indog. **taris* redire. Tamen iure fortasse dubitaveris, num *a* vocalis, quae in numero cardinali dudum evanuerat, tamdiu in singulis linguis permanserit, ut inde illarum formarum discrepantia explicetur. Quare tota res in medio relinquenda videtur esse. Recentiores vero dialecti haud dubie in hoc ipso numero ordinali vocalem anticipatam praebent, quemadmodum angl. *thirty*, belg. *derde* (quod Ahr. p. 79 ad aeol. *τέρτος* comparat) cum agls. *thrittig*, saxon. vet. *thridda* (v. Diefenb. l. l.) conferenda sunt. Similia quaedam eiusdem generis exempla e dialectis theodiscis affert Woestius KZ. IV, 137 sqq.

---

[32]) Monendum est dialectum Pâlicam non e lingua sanscr. ortam esse, sed una cum ea ad eundem fontem redire.

[33]) Cuius formae cum nullum vestigium supersit, eo autem tempore, quo primum num. ord. formatus videatur, **tari-* iam in *tri-* versum fuisse sumendum sit, Benfeyus tamen *tri-tja-* solam formam indog. esse vult. Sed nescio an vestigia antiquissimae formae in linguis celticis agnoscenda sint, cf. gadhel. vet. *teora* al. ap. Diefenb. II, 717, quamquam de his nihil affirmo. De tempore autem, quo num. ordin. ortus sit, nihil scimus. Denique Benf. cogitur pâl. *ta-tija* e **tri-tija* per formas intermedias **tirtija-* **tartija* ducere, quod similibus exemplis firmari posse ipse desperat.

Hoc autem mihi constat maxime in antiquis formis nusquam incautius hoc metathesis genus statuendum esse, tamen ab altera parte cavendum, ne nimium negemus, quoniam in talibus rebus fit, ut linguae pauca tantummodo, ea autem certa exempla praebeant.

Id in linguam latinam cadit, e qua praeter *tertius, ter, terni*, quae fortasse huc pertinent, haec tantum in promptu habeo[34]):

Pulmo = gr. πνεύμων — πλεύμων, cf. theod. *fnehan* sloven. *plušti* cet. Curt. Et. p. 262. KZ. XIII, 369;

barchisillabus, v. Schmitz Mus. Rhen. XVIII, 147.

De aliis exemplis dubitari potest. — Ex eis est *caro* vocabulum. Quamvis enim in omnibus formis cognatis (scr. *kravja-s*, gr. κρέας cet. v. Curt. 147) *r* vocalem antecedat nec minus in lat. *cruor*, tamen nescio an in his metathesis facta sit, contra lat. *caro* (e **carvon-* v. Curt. l. l.) pristinum litterarum ordinem servaverit. — *Corcodillus* = κροκόδειλος (v. Ritschelium p. 536) fortasse ad *κορκόδειλος formam antiquiorem redit, unde κερκύδειλος forma (v. E. M., ubi tamen de scriptura non constat) salvo litterarum ordine fluxerit; cui conferre licet neogr. σκορκόδειλος, v. Protodicum Ἰδιωτ. τ. νεωτ. Ἑλλην. γλώσσης p. 68[35]). Tamen origo κροκόδειλος vocis adhuc dubia est. — *Tarsumennus* = *Trasumennus* (v. Quintil. I, 5, 13) Dietrichius p. 6 collatis *Turscus*, *Τυρσηνοί* cet. pro forma primigenia habet; cf. Corssenum KZ. III, 270 sqq. — De *bardus* et *tarpezita* vocabulis cf. infra § 8.

Reliqua exempla, quae Dietrichius in commentatione

---

[34]) Omitto posteriorum temporum linguam vulgarem, ad quam *Feborari* pro *Februari* (Corssen I, 247) et alia pertinent.

[35]) σκορκόδειλος εἶδος σαύρας οὕτως ἐπονομαζομένης ἐν Πάρῳ διότι κατὰ πάντα ὁμοιάζει μὲ τὸν κροκόδειλον. Sed vice versa hoc nomine primum lacerta dicta videtur, inde autem nomen translatum ad bestiam Aegyptiam. V. Steph. Thes. s. v. et cf. Benfeyum II, 286, qui recte fortasse καρκῖνος, scr. *karkaṭa* sim. contulit. Nescio an proxime absit κέρκο-ς cauda (e rad. *kar*, v. Curt. 150).

sua et Corssenus I, 246 afferunt, quia in eis vocalis liquidae praecedat, cum in formis cognatis — graecis potissimum — liquida praeposita sit: non metathesim passa sunt sed vocalem ab origine praepositam habuerunt, velut *terreo, porro, farcio, scirpus* al., de quibus infra agetur. De *cornus* = gr. *κράνος, gerro* = *γράσων, porrum* = *πράσον* nescio an non prorsus recte idem statuere videar, quoniam haec vocabula fortasse a Graecis ad Latinos translata sint; sed exspectes, quaeso, quae in proxima § dicturi simus.

Vides ad recte de metathesi graeca iudicandum quanti momenti sit cum in ceteris linguis cognatis tum maxime in latina lingua metathesis rationem cognovisse. De hac autem nondum recte iudicabatur. Nam quod Corssenus l. l. p. 245 dicit Latinos potissimum ad vocales praeponendas propensos esse, praepositas autem non removere — non verum est, quoniam hoc saepius fieri (cf. quae supra attulimus), illud non ita multa exempla habere vidimus.

Ex eis vero, quae hactenus de liquidarum metathesi disputavimus, hoc iam verisimile fit, si vocabula cognata litterarum ordine differunt, plerumque ab initio vocalem liquidae praepositam fuisse. Atque eodem aliud quid valet, quod ad formas primarias eruendas multum confert. Multas enim earum radicum, quae metathesim patiuntur, accedente littera determinativa — ut hoc nomine utar — e radicibus primariis consona, vocali, liquida constantibus prodiisse constat; in quibus nisi forte bis metathesis facta est[36]), de vocalis anticipatione cogitari nequit.

In nonnullis quidem eius generis radicibus liquida iam antiquissimo tempore locum ante vocalem occupavit; velut rad. *kra-m* (gr. *κρέμαμαι*, got. *hramjan*, Curt. p. 148) e *kar* (cf. lituan. *kar-iù* haereo) orta est; rad. *tra-m* (gr. *τρέμω*, lat. *tremo*, lituan. *trimù*) e rad. *tar* in scr. *tar-ala-s* tremu-

---

[36]) Sic *βάρδιστος* e *βράδιστος* videtur ortum esse, cum *βραδύς* ipsum anticipata liquida e **μαρδύς* prodiisset. Cf. infra § 8.

lus servata (v. Curt. 210), unde etiam rad. secundaria *tra-p* in scr. *trap-ati*, lat. *trep-idus* cet. (v. Fick. p. 82); rad. *pla-k*, unde gr. *πλήσσω*[37]), lat. *plango*, lituan. *plakù* al. v. Curt. 260, e primaria rad. *pal (spal)*, quae inest in lat. *pellere* cet.; rad. *kla-p* — *kle-p* in gr. *κλέπτω*, lat. *clepo*, got. *hliftus*, quam radicem e *kal* (in lat. *cel-are* cet.) ductam esse Curtius p. 61 vidit — cet.[38]).

Multo autem plures illarum radicum separatis demum linguis metathesi immutatae sunt, velut rad. **tars* in scr. *tras-ati* gr. *τρέ-ω*; quod enim supra de his diximus iam confirmatur eo, quod illa radix haud dubie una cum radicibus *tra-m*, *tra-p* ad eandem primariam radicem *tar* redit, ad quam etiam radix *tar-k* (in lat. *torqueo*, gr. *τρέπω* cet., v. § 4 n. 20) revocanda est[39]).

Quam necessarium sit semper etiam hoc quaerere, utrum radix primaria an secundaria alicui vocabulo subiecta sit, valde perspicuum est in *καρπάλιμος* collatis *κραιπνός* (pro **κραπ-ινο-ς*), got. *hlaupa* lit. *krypti* cet. (v. infra § 4 n. 14). Cum enim rad. *karp* — *krap* (*krup*, *krip*) ad primariam rad. **kar* (in lat. *cur-rere*, scr. *kar*) redeat, iam sine dubitatione statuemus in una forma *καρπάλιμος* pristinum litterarum ordinem servatum, in ceteris omnibus liquidam anticipatam esse.

Hac igitur ratione saepissime, cum eandem metathesim usu venisse aliis de causis suspicabimur, id radicum origine cognita firmare poterimus, velut in *κρέκ-ω*, *κρίκ-ος*, *κρατ-ύς*,

---

[37]) Quod in plerisque huius verbi formis — non tamen in aor. *ἐ-πλάγ-ην* et sim. — producta vocalis est, non magis ad metathesim pertinet, quam interposita nasalis in lat. *plango* sim. Vides enim semper in hoc genere vocalem correptam servari.

[38]) Quin in eiusmodi radicibus formae in liquidam terminatae primitivae sint, dubitari omnino nequit. Prorsus improbabiliter e. g. Corssenus II, 384 radicem *bal* in lat. *bal-are* transmutatione ex *bla* (in gr. *βλη-χή* cet.) ortam esse dicit. — De radicum 'determinatione' nuper docte — licet in quibusdam minus probabiliter — Fickius egit. lex. p. 968 sqq.

[39]) De radicibus secundariis, quae ad primariam rad. *tar* redeunt, cf. Curt. Et. p. 210. 'Zur Chronol. d. indog. sprachf.' p. 209.

κραδ-άω, θρασ-ύς aliis, quae deinceps afferemus. In δρέπω autem et quibusdam aliis metathesim factam esse hac sola via cognosci poterit.

Rarius radices consona, vocali, liquida constantes in nominum et verborum formatione hanc simplicem et propriam metathesim patiuntur (velut st. καρ- in κρά-νο-ς cet. v. § 4 n. 6). In plerisque illarum radicum transmutationem ita fieri videmus, ut vocalis postposita producatur et difficile sit dignoscere, utrum metathesis an syncope facta sit. Quare et has et radices consona, vocali, nasali compositas, quarum eadem est ratio, seiunctim tractabimus § 10.

Iam transimus ad exempla Graeca enumeranda.

§ 4.

P.

1. *Κρέκω, κρέξ* (avis nomen). Radix his vocabulis subiecta e primaria rad. *kar* sonare — cf. καρ-καίρω — et κ sive determinativo sive reduplicativo composita est[40]). *Κρέκω* enim proprie haud dubie significat sonare vel cum strepitu aliquid pellere atque hinc et de lyra et de radio in texendo adhibito dicitur; cf. Hesych.: *κρέκειν· κιθαρίζειν* (scr. *karkarî* cithara), *κρέκοντα· κερκίζοντα*[41]). Pristinus litterarum ordo servatus est in avium nominibus *κέρκαξ, κερκάς, κερκίων* (Hesych.), et in *κερκίς, κερκίζω* sim. Accedit *κερκολύρα* vocabulum, quo Alcman usus est; v. Zonar. 1190 (Bergk lyr.[3] p. 868): *κερκολύρα ἀντὶ τοῦ κρεκολύρα, ἠχητικὴ λύρα.* Quod si recte sic explicatur, sumendum est antiquiorem verbi formam **κέρκειν* diutius

[40]) Cognata sunt scr. *karkati,* gr. *κράζω, κλάζω, κλώσσω,* lat. *clangere, crocio,* lit. *klegu* cet., quae Fickius p. 48 attulit. Sed quamvis haec omnia sonandi verba sint, vix recte Fickius ea ad unam eandemque indog. rad. *kark—krak* revocavit. Nam significationes singulorum nimium inter se differunt.

[41]) Sonandi notio non solum in avium nominibus primaria fuit, sed eo quoque perspicua est, quod *κρέκειν αὐλόν, δόναξα* sim. dicuntur; v. Aristoph. av. 682 al. ll.

apud Dorienses quam apud reliquos Graecos in usu fuisse; cui coniecturae nullus locus, qui repugnet, exstat[42]). — *Κερκιθαλίς* (Hesych.) cum lat. *querquedula* composuit Schwabius de demin. p. 89.

2. *κροκάλη* glarea, littus glarea tectum = scr. *çar-karâ*, *κρόκη* (eadem signif.) = scr. *çârka*, v. Benf. II, 177. Curtius p. 138 radicem aliquam *kar* durum esse statuit, ad quam *κάρ-υον*, lat. *car-ina* cet. redeant. Ad eandem probabiliter et illa vocabula et *κρα-ναός* alia (v. Curt. l. l.), ubi metathesis facta sit, revocabimus.

3. *κρόκος* crocus iam Benfeyus II, 177 cum hebr. כַּרְכֹּם (*karkôm*) contulit, Hehnius vero 'Culturpflanzen und Hausthiere cet.' p. 175 et rem et nomen ex Asia ad Graecos translata esse luculenter ostendit. Cognata sunt nomina propria *Κορκίνας — Κροκίνας*, *Κρωκίνας* (Benselerus p. 722 vertit 'Gelbe'), de quibus Keilius Inscr. Thessal. III p. 13 egit.

4. *κρίκος* ortum est e dor. *κίρκος* (Ahr. p. 113) = lat. *circus*, quibuscum ad eandem radicem redeunt *κέρκος*, *κυρτός* al. v. Curt. p. 150. In lituan. *kreivas*, sloven. *krivŭ*, quae Fickius p. 348 cum lat. *curvus* ex europ. **karva* duxit, et in theod. vet. *hring* perinde atque in gr. *κρίκος* liquida anticipata est.

5. *κρατύς* = island. *hardhr*, got. *hardus* v. Fick. l. l., scr. *kratus* v. Curt. p. 147. St. *καρτυ* servata est in hom. *καρτύ-νω*; cf. *κάρτιστος*, dor. *κάρρων* pro **καρτjων*, *κάρτος*, *καρτερός*, *καρτάζεσθαι*, *καρταίνειν* (Hesych.), *κάρτα* — quod optime concinit cum theod. vet. *harto*, v. Schweizerum KZ. XV, 315 — cet. *Καρτερός* formam Attici retinuerunt, quamquam *κράτος* pro *κάρτος* adhibuerunt (v. Lob. 492). De hom. *κρατερός* v. infra § 6. — Rad. *καρτ* e *καρ* facere et *τ* composita videtur (Curt. l. l.).

6. *κράνος* galea non dubito quin e st. *καρ* caput (cf.

---

[42]) Unde Papius in lexico s. v. hauserit quod dicit *κίρκω* esse apud grammaticos traditum, nescio.

zend. *çara* lat. *cere-brum* cet. Curt. p. 136) derivatum sit[43]). Eodem pertinet *κρᾱνίον*, quod Fickius p. 348 cum got. *hvairnei*, theod. *hirni* ad europ. **karnja* revocavit; a quo etiam propius abest *cernuus* vocabulum a Buggio 'Studien' IV, 342 e st. **cerno* caput ductum. Tamen fortasse *κρᾱνίον*, *κρᾶνα* (*κεφαλή* expl. Hesych.), *κρήνη* (caput fontis v. Curt. l. l.) sim. ad stirpem *καρ-ᾱνο*, quae est in *καρᾱνός*, *κάρηνον*, referenda sunt, cf. *ἀμφίκρᾱνος* (Eurip.) = *ἀμφικάρηνος* (Nicand.), *πρόσκρᾱνον* pulvinus, *ἐπίκρᾱνον* sim.; tum autem non metathesis, sed syncope statuenda est. Eadem vero dubitatio in aliis quoque formis a st. *καρ* derivatis occurrit. Sic *κατα-κρῆ-θεν* (*Π* 548) et *κρή-δεμνον* quamvis ad ipsam stirpem *καρ* redire suspicatus sis, tamen *κρη-* etiam pro *καρα* — *καρη* esse potest, quae stirps e nominativo *κάρη* (st. *καρητ*) deducta conspicitur in compp. *καρα-τόμος*, *καρα-δοκέω*, in fem. *κάρη* (gen. *κάρης*). *Κρᾱ-ατος* et cum Mistelio (KZ. XIX, 93) e **καρ-ϝατ-ος* et cum Brugmano ('Studien' IV, 152, ubi de producta vocali agitur) e **καρα-ϝατ-ος* (**καρασ-ϝατ-ος*, v. infra), unde *καρήατος* etc. prodierunt, ducere licet. Denique *κρᾱτός* etc. accentu in ultima posito ad stirpem **καρ-τ* (?), contra producta vocali — cf. etiam accentum in *κράτων* forma — ad *κράατος* etc. pertinent. — Variae quae huc pertinent formae ad has stirpes redeunt: 1. *καρ*. 2. *καρ-ανο*. 3. *καρ-ϝατ* (in gen. *κάρητος*, nom. *κάρη* cet.). 4. fem. *καρα* (cf. quae supra de hac st. diximus). 5. *καρ-ας* = scr. *çir-as* (in dat. ntr. *κάρᾳ*, pl. *κάρᾱ*). 6. *καρ-ασ-ϝατ*. 7. msc. *κρᾶτ* (stirps e *κρᾱτός* sim. deducta, in acc. sg. *κρᾶτα*, nom. *κράς*)[44]).

---

[43]) Fickius p. 36 *κράνος* et *κρᾱνίον* cum *κέρνος* patina, scr. *karaka* urna cet. composuit, quod quam rectum sit non diiudico. Etiam de radice dubito, cum Curtius p. 138 bene ei duritiae notionem tribuerit (v. n. 2), probabiliter Benfeyus II, 287 haec vocabula ad *kar* curvum esse (v. n. 4) revocaverit. Minus recte Corssenus I, 342 iudicasse videtur.

[44]) Gen. *κάρης* Callim. fr. 125. Mosch. 4, 74. Dat. ntr. *κάρᾳ* saepius apud tragicos legitur, pl. *κᾶρᾱ* h. in Cer. 12 al. ll. Nom. *κράς*

7. κρόταφος cum sanscriticis vocabulis *kaṭa-s* et *karta-s*, quae cavum significant, et lituan. *karszta-s* recte comparasse videtur Fickius p. 38 (de suffixo Curt. p. 452). Antiquior forma κόρταφος traditur in Et. Gud., cf. Milleri 'Mélanges de littérature Grèque' p. 193 (suppl. ad EM. p. 541, 22).

8. κρότος, κροτέω, κρόταλον cet. ad indog. rad. **kart* revocanda sunt, unde scr. *kaṭa-kaṭ-âya-ti* crepare, lituan. *ker-tù*, *kìrs-ti*. V. Fickium p. 36, qui multa alia huc trahit, quae rectius segregantur. Pristinae formae sunt apud Hesychium: κόρτος· κρότος, κορτεῖν· κροτεῖσθαι, tum in versu, quem Meinekius Com. fr. III, 188 affert Diogen. Prov. III 97: γραῦς ἀνακορτήσασα πολὺν κονιορτὸν ἔγειρεν, ubi vulgatam scripturam ἀνακροτήσασα metrum respuit. Idem Meinekius κόρτησε in Dionysii versu (ap. Steph. Byz. p. 331) restituendum esse coniecit.

9. κροτώνη nodus qui est in arboris stirpe Benfeyus II 319 rectissime cum lat. *cartilago* composuit. Pro radice Fickius p. 36 *kart* nectere habet, unde praeter cetera scr. *karta-s* canistrum et eadem significatione gr. κάρταλος manaverint. (Similiter Benfeyus l. l.)

10. κραίνω (st. κραν) prodiit e rad. καρ facere, cf. scr. *kar-oti*, *kar-man* facinus, lat. *cer-us*, *Cer-es*, lituan. *kur-iù* aedificare, Curt. p. 147. Κρόνος, quod Curtius haud dubie recte huc retulit et cum scr. *karaṇa-s* comparavit, eodem modo formatum videtur ac κρα-νο-ς e st. καρ-, κλό-νο-ς e κολ (κελ), v. n. 59, al. In κρείων (κρέων) sicut in graecoit. st. **kra-ja* (v. supra § 3) metathesis facta videtur, dum *j* littera integra servabatur.

11. κράνος, κράνεια metathesim passa esse solo lat. *cornus* comparato probari nequit; quare Dietrichius p. 7

---

semel reperitur ap. Simmiam Rhod., v. Bekk. Anecd. p. 1181. — Notum est, quam perverse de variis his formis iudicatum sit, cum st. *KAPHAP* sim. statuerentur. Nec Kühnerus gr. 356 quidquam ad explicationem illarum attulit, Leo Meyer vero 'Vgl. gr.' II, 229 perperam κάρη ex *καρα-ϝα ortum putavit.

dubitat, num forte in hoc vocalis anticipata sit. Sed exstat apud Hesychium *κύρνος* forma (cf. Lobeck. Parall. p. 339) et cognatum est *κέρ-ασος* nomen, v. Curt. p. 141; Hehnius vero 'Culturpfl. u. Hausth.' p. 292 arboris nomen iure ad duritiam ligni (de rad. *καρ-* supra diximus) retulisse videtur collato vernaculo *'hartriegel'* et Theophr. h. pl. 3, 12, 1: *τὸ δὲ ξύλον τῆς κρανείας ἀκάρδιον καὶ στερεὸν ὅλον, ὅμοιον κέρατι* e. q. sq. Quare cum dubitari nequeat, quin eae formae, in quibus liquida vocalem sequitur, antiquiores sint, cornum autem e Graecia in Italiam transmigrasse verisimillimum sit (v. Hehnium l. l.), hoc iam antiquissimo tempore, cum Graeci nondum *κράνος* pronuntiarent, vel per Dores, qui **καρ-νος* formam fortasse diutius retinuerunt, factum esse sumendum erit[45]).

12. *κράδη, κραδάω, κραδαίνω* Curtius p. 146 cum scr. *kûrd*, lat. *cardo* composuit, Fickius vero p. 37 radicem *kard* e *(s)kar* (unde *σκαίρω*) accedente *d* littera ortam esse animadvertit. Servatus est litterarum ordo in *καρδία*, quod procul dubio ad eandem radicem redit (v. Curt. p. 137), et — siquidem Curtius recte de eorum origine statuisse videtur — in *κορδύλη* (*κοροδύλη*) clava et in *κόρδαξ· εἶδος ὀρχήσεως* Hesych.

13. *κρηπίς* cognatum est cum lat. *carp-isculum*, lituan. *kurpė*, sloven. *črĕvij*, v. Fick. p. 348. Liquida postposita permansit in *καρβατίνη*, quo de cf. Walterum KZ. XII, 379, Curt. p. 490. De radice, quam Fickius l. l. *skarp* secare esse dicit, nihil pro certo affirmari poterit.

14. *κραιπνός* pro **κραπ-ινο-ς*, cuius radicem *karp* in *καρπάλιμος* integram servatam esse iam supra vidimus (§ 3). Nescio an Fickius l. l. recte lat. *carpentum* eodem referat. Non aliter ac de *κραιπνός* cum *καρπάλιμος* comparato iudi-

---

[45]) *Ἀπόλλων Καρνεῖος* nihil ad cornum pertinet — ut a Pausania et aliis traditur (cf. Benseleri 'Wtb. d. gr. En.' p. 626), sed a *κάρ* aries (gen. *καρνός*) cognomen habuit. Cf. Welckerum 'Götterl.' I, 471, Prellerum Mythol. gr. I, 194.

candum est de κραιπάλη crapula, *'taumel'* et κάλπη et sim. v. Curt. p. 137. Benf. II, 310.

15. κράμβος siccus haud dubie ad κάρφω torreo pertinet, v. Walterum KZ. XII, 380. Curt. p. 480.

16. γράσων (μωρός, ἀνούστατος Hesych.) Fickius 'Or. u. Occ.' III, 295 cum lat. *gerro* sive *cerro* 'tölpel' (Ter. Heaut. 5, 4, 10) composuit, quod quominus a Graecis translatum putemus, impedimur formis cognatis *cerritus, cerritulus* sim. Pro radice cum Fickio *kars* (unde gr. κόρση al.) habenda est. Quod metathesi facta apud Graecos κρ in γρ abiit, in eo nihil est offensionis; cf. supra not. 26.

17. κρόμυον caepa a Picteto 'Origines Indoeurop.' I 297 cum lituan. *kermusze* et hibern. *creamh* comparatur, Buggius KZ. XIX, 419 eodem scandin. *rams* refert, cf. Hehnium p. 126. In trium linguarum cognatarum formis liquidam anticipatam, in uno lituan. *kermusze* suo loco servatam esse non pro certo affirmo, sed verisimile duco, quia in hoc vocalis anticipationem aegre concesserim, quod metathesis genus paucissima etiam apud Lituanos exempla videtur habere.

18. ἀχράς, st. ἀχραδ, pirum aperte cohaeret cum ἄχερδος pirus. Quamquam vero de origine horum vocabulorum nondum constat, tamen — si universam metathesis rationem spectamus — dubitare non possumus, quin arboris nomen pristinam litterarum collocationem servatam praebeat, ἀχραδ forma affecta sit. Derivata sunt Ἀχερδοῦς — Ἀχραδοῦς, Atticae pagus, Ἀχράδης al. v. Benseleri lex. p. 187.

19. ἄτρακτος fusus proxime cognatum est cum scr. *tark-u-s.* Radix est *tark*, gr. τρακ — τρεκ (v. n. 20), ad quam etiam ἀτρεκής revocandum est.

20. τρέπω, si Curtium (p. 427) sequimur, cum lat. *torqueo* scr. *tark-us* cet. ad eandem rad. indog. **tark* redit; e qua etiam theod. *drâhjan* al. videntur prodiisse, v. Fickium p. 363. Is autem p. 82 τρέπω cum lat. *trepit* (vertit, Paul. Epit. 367), *trepidus*, sloven. *trep-ati* trepidare, scr. *trap* pudere — quod proprie se avertere significaverit — ad

indog. *trap* revocat; cum lat. *torquere* gr. *ταράσσειν*, theod. *drâhjan* cet. (v. rad. europ. *tark*) componit. Sed Curtii sententia primum eo commendatur, quod apud Graecos *κ* servabatur in *ἄτρακτος*, *ἀτρεκής*, a quibus *τρέπειν* segregari nequit. Deinde vero, ut significationem omittam[46]), alterum accedit, quo *τρέπειν* magis ad lat. *torqueo* pertinere videatur, quod etiam eius litterarum collocationis, qua vocalis liquidae praecedebat, apud ipsos Graecos vestigia servata esse videmus. Dico formas ab Hesychio traditas *τερπώμεθα· τρεπώμεθα, τετάρπετο· ἐτρέπετο* (haec Lobeckium fugit), quas nullo modo sic explicari posse, quasi fieri potuerit, ut 'aliquis pro *τρέπω* traiectis litteris *τέρπω* diceret' (Lob. Rhem. p. 38), per se apparet. Est enim procul dubio sumendum in aliqua dialecto — scilicet qua is, ex quo glossae illae haustae sunt, utebatur — eas formas in loquendo adhibitas et usitatas fuisse; nam aliter nullus auctor eas in scribendo adhibere potuit. Iam vero si *τρέπω* forma primigenia fuisset, si Fickius recte scr. *trap* etc. conferret, nonne mirum esset Graecos aliquo tempore *τρέπω* cum *τέρπω*, cuius prorsus alia significatio erat, confudisse, cum praesertim — ut infra videbimus — rarissime vocalis liquidae

---

[46]) Propter hanc verisimillimum fit radicem *trap* (**tarp*) ab initio fudiversam isse a rad. *tark*. Sed difficultatem parat *trepit* illud, quod Festus in vertendi notione usurpatum esse tradit. Videtur haec forma sicut gr. *τρέπω* — de quo nobis idem persuadebimus — ad rad. *tark* redire, ut statuendum sit iam apud Graecoitalicos **trepo* in torquendi vi usurpari coeptum esse. Apud Graecos rad. *tarp-trap*, quae *p* ab origine habuit et trepidare significavit, tota intermortua videtur (nisi forte *π* in *β* verso *ταρβέω* huc pertinet, quod Walterus KZ. XII 379 cum lat. *trep-idare*, Curtius autem p. 486 auctore Kuhnio cum scr. *tarǵ* contulit). Nam nec **τραπελος* (in *εὐ-τράπελος* cet.), quod haud dubie a propria *τρέπειν* verbi notione profectum est, cum scr. *trpala-s* conferre licet (Fick. p. 83), nec *ἐν-τρέπεσθαι*, quod Fickius cum scr. *trap* pudere comparat, quidquam probat, cum pudendi notionem apud posteriores demum scriptores habeat et eam, si quid video, a vertendi notione oriundam.

praeponeretur?[47]) Igitur longe probabilius sic statuetur: Radicis torquere significantis forma graecoitalica **tarkv-* fuit, e qua lat. *torqueo* gr. *τέρπω* prodiit. Iam cum haec forma propter similitudinem *τέρπειν* verbi delectare significantis vix per longum temporis spatium ferretur itaque in *τρέπω* verteretur, tamen in dialecto aliqua — dorica fortasse — hic illic pristinae formae ut illud *τετάρπετο* sim. servabantur. — Etiam *Ἀταρπώ* Parcae nomen, quod Lobeckius l. l. cum *Ἄτροπος* composuit, salvo litterarum ordine ex eadem radice prodiisse videtur.

20*b*. *ἀτραπός*, *ἀτραπιτός* veteres e *τρέπειν* verbo duxerunt, cf. Hesych.: *ἀτραπός· ὁδὸς ἄτρεπτος*, Eustath.: *στενὴ ὁδὸς καὶ διηνεκὴς, μὴ ἔχουσα ἐκτροπὰς. καθ' ἣν οὐκ ἔστιν ἐκτραπῆναι.* Quod si probaretur, statuendum esset haec vocabula similiter atque *Ἄτροπος* nomen vim passivam continuisse. Sed quamvis ne usus quidem repugnet, vereor ut illud veriloquium probabile videatur. Ut autem liquidam in his quoque vocabulis anticipatam esse credamus, nescio an facile adducamur, quod apud Homerum *ἀταρπός* et *ἀταρπιτός* vocali praeposita quater leguntur (*P* 743, *Σ* 565, *ξ* 1, *ϱ* 234), semel tantum *ἀτραπιτός* (*ν* 195), in Atticorum autem consuetudine *ἀτραπός* forma dominatur. Cf. de etymo infra § 8.

21. *ἀστράπτω*, *ἀστραπή* ad st. *(ἀ)σταρ* (cf. scr. *star-as* lat. *stella* pro **ster-ula* cet. et infra § 6 n. 76) redeunt, e qua vocali inserta *στέροψ*, *στεροπή* cet. ducta sunt. Cf. Curt. p. 195. *Στίλβω* verbum (pro **σταρ-π-ω* — **στιρ-π-ω*) cognatum esse primus Walterus KZ. XII 379 suspicatus est.

22. *τρέφω* aeque ac *τέρπω* ad indog. **tarp* satiari, frui revocandum esse collatis scr. *tarp*, lituan. *tàrp-ti*, got. *thraf-stjan* cet. paene omnes concedunt. V. Curt. p. 210. Fick. p. 262. Aliquam autem dubitationem movet ea notio, quae conspicitur in *τρέφειν γάλα*, *τραφερή* sim. Videntur

[47]) Nam facilius talis confusio fieri poterat, si usitata affectio erat nec utriusque vocabuli notio nimium dissimilis esse videbatur. Cf. infra § 6 de hom. *τραπείομεν*.

haec Fickio p. 364 conferenda esse cum lat. *torpere* lituan. *tirp-ti* theod. *derb* cet. Aspirationem *π* litterae prius quam metathesim factam esse probatur formis cognatis *ταρφύς, τάρφος* (*παρὰ τὸ τρέφεσθαι* EM., cf. Lob. p. 497).

23. *τράμις* (*τὸ τρῆμα τῆς ἕδρας, ὁ ὄρρος, τινὲς ἔντερον, οἱ δὲ ἰσχίον* Hesych.) Fickius p. 364 recte cum anglos. *thearm*, theod. *daram*, *darm* contulit ac probabiliter ad rad. *tar* revocavit.

24. *ἔ-τραγ-ον, τρώγ-ω* cet. iam Benfeyus II 262 cum *τρύχω, τρίβω* cet. composuit. Rad. *τραγ* rodere, manducare e *tar* terere et *γ* composita videtur. Huc etiam *τρῶκται, τρώξ* (cf. *θρίψ* ad *τρίβω*), quae Curtius p. 427 commemorat, pertinent. *Τρώγλη* L. Meyer 'Got. spr.' p. 244 cum got. *thairko* foramen comparavit.

25. *τρασιά* usitatior videtur forma fuisse pro *ταρσία* (v. Aristoph. nub. 51, Phot. p. 508, 13), certe recentior est, cf. *ταρσός, τέρσομαι*, scr. *tarsh*, got. *thaursjan* cet. Curt. p. 211.

26. *τρέω* e **τρεσ-ω, *τερσ-ω* = lat. *terreo* cet. v. supra § 3. Apud Hesychium legitur *ἔτερσε· ἐφόβησε* — pristina radicis forma vi transitiva usurpata[48]). — Probabile est aliquo tempore in una radicis forma convenisse terrendi et torrendi significationes, quas Latini nec minus Indi (*tras — tarsh*) et Bactri (*tareç — tarsh* in *tarshno* sitis) et posterius ipsi Graeci distinxerunt.

27. *τετράων* (gallinarum species) Fickius p. 76 ex indog. **tatarva* duxit collatis pers. *tadsrew*, lituan. *tetervas*, boruss. *tatarwis*, sloven. *tetrŭvŭ* (cf. Curt. p. 211). Quorum omnium formam principalem **tatarva* fuisse eo firmatur, quod scr. *tittiras*, gr. *τέταρος*, lituan. *tytara-s* formam **ta-tar-a* subiectam habent. (Fick. p. 75.) Cf. etiam Hehnium l. l. p. 264.

28. *ἀστραλός· ὁ ψαρὸς ὑπὸ Θετταλῶν* Hesych. Cf. lat. *sturnus*, theod. *stara* cet. Curt. p. 331. Fickius p. 410 *λ* a Thessalis saepius pro *ν* positum esse (cf. *Ἐλιπεύς* pro

---

[48]) Hoc enim Curtius p. 211 recte monuit, parum dextre M. Schmidtium *ἐφόβησε* in *ἐφοβήθη* mutasse.

Ἐνιπεύς al.) monet itaque ἀστραλός etiam in suffixo cum lat. *sturnus* congruere statuit.

29. στροῦθος Curtius p. 650 Benfeyo auctore cum got. *sparva*, theod. *sparo* contulit. St. στρου-θο suffixo deminutivo aucta e *στροϝο, *στορ-ϝο et σπ in στ verso e *σπορ-ϝο orta videtur.

30. δράσσομαι, δράχμη, δράγμα unde ducta sint, nondum satis constat. Quominus cum Fickio (p. 89) scr. *darh* figere, affigere cognatum putemus, vel cum aliis scr. *grah* sim. ad eandem originem revocemus, impediunt formae, quae κ habent, δράξ gen. δρακ-ός manus, δάρκες· δέσμαι (proprie manipuli) Hesych. Quare Curtius p. 449 radicem δρακ esse statuit collatis lituan. *rink-ti* colligere, *rankà*, sloven. *ręka* manus. Quod si recte factum est, tamen non dubito, quin primaria radicis forma δαρκ fuerit. Est enim praeter δάρκες illud vocali liquidae praeposita δάρχμα forma servata in dialecto Arcadica (inscr. Teg. ed. Michaelis in Fleckeis. Ann. 1861 p. 585, v. 23 et 30.) et apud Hesychium δάρχμη· δράχμη legitur. Hac autem glossa nisus bene Bergkius δάρχμη formam primitus etiam Atticis usitatam fuisse coniecit et, cum innumerabilibus locis prior syllaba δράχμη vocabuli correpta esset, eis comicorum locis, ubi producta videretur, antiquiorem illam formam restituendam esse statuit, velut Aristoph. Vesp. 689, Pac. 1200, Plut. 1020. V. 'Zeitschr. f. d. Alterthw.' 1835 p. 322 sqq. et cf. G. Dindorfium in Steph. Thes. s. v.

31. δρέπω cum Pottio II² 464 ad rad. *dar* (in δέρειν, unde etiam δρύπτω, cf. infra § 7) π littera auctam revocaverim. Fickius p. 1029 δόρπον — ubi antiquior litterarum ordo servatus videtur esse — et δαρδάπτω (pro *δαρ-δαρ-πτω) recte illis adiecit. Quod Curtius l. l. radicem δρεπ labialismo e δρακ (δαρκ v. n. 30) prodiisse voluit, nescio an non minus probabile videatur, cum δρέπειν proprie fortasse sicut lituan. *rinkti* colligere significaverit.

32. δρωπάζειν circumspicere (Hesych.) Fickius p. 90 cum scr. *darp* flammare, *darpaṇa* oculus, theod. *zorft*

lucidus composuit. Rad. primaria *dar* in scr. *â-dar* respicere, gr. *ὑπό-δρα* (cuius de formatione nondum constat) inest (cf. Curt. p. 129), cognata est rad. *dark* cernere v. § 6. *Δρωπ* e *δραπ* eadem vocalis amplificatione ortum est qua *τρωγ* in *τρώγ-ω* cet. e *τραγ* in aor. *ἔτραγον*.

33. *θρᾴσσω* (e **θρακ-jω*, *τραχ-jω*) frangendi notione dictum Fickius p. 79 ad scr. *tarh* (*tṛmh-ati*), sloven. *trěž-ą* contulit, *ταράσσειν* torquere segregavit et p. 363 cum lat. *torqueo* ad europ. rad. *tark* revocavit. Sed — utut de etymo statuendum erit — cum *θράσσειν* etiam pro *ταράσσειν* turbare dicatur, ad hoc autem perf. *τέτρηχα* pertineat, dubium esse non potest, quin his omnibus formis graeca radix *ταρχ* subiecta sit, e qua *ρ* anticipato *τραχ*, vocali inserta *ταραχ* prodierit. Vetusta radicis forma servatur in Hesychii glossis *ταρχή· ταραχή*, *ταρχαίνειν· ταράσσειν*. — Vix recte Kühnerus gr. gr. p. 576 alii propter *α* productum *θράσσειν* e *ταράσσειν* — **τρα-ασσειν* ortum putaverunt, quoniam vix umquam liquida inter duas aequales vocales posita loco movetur, productio autem vocalis primum praesentis formis propria fuisse indeque ad ceteras formas translata esse potest.

34. *θρασύς*, *θράσος* ad ordinem litterarum recentiores formas esse quam *θαρσύνω*, *θάρσος*, *θαρσέω* cet. collatis scr. *dharsha-s*, zend. *darəsh*, got. *gadaursan* firmatur; linguae sloven. et lituan. in *drŭz-ŭ* — *draṣ-ùs* cet. seiunctim metathesim admiserunt. Cf. Curt. p. 241. Radix indog. *dhars* e *dhar* (in scr. *dhṛta-s* fortis, promptus, gr. *θέλ-ω*) accedente *s* nata est, v. Fick. p. 1014. De singulis vero formis Graecis, quae huc pertinent, accuratius videtur exponendum esse. —

1. In dialecto ionica omnium primum *θαρσύς* in *θρασύς* abiit, quae forma sola est Homero usitata; aliquoties tamen *θαρσύ-νω* servatur, quod apud Atticos fere semper in *θρασύνω* versum conspicitur. Etiam apud poetas doricos (saepissime apud Pindarum) *θρασύς* forma legitur. Tamen haud dubie pleraeque dialecti et Attica quoque diutius *θαρσύς* vetustam formam retinuerunt, quod multis

nominibus propriis ut *Θαρσυ-πτόλεμος*, *Θαρσύ-τα-ς* al.[49]) et Hesychii glossa *θαρσύς· τεθαρρηκώς*, *θρασύς* probatur; quo accedunt vestigia quaedam in libris mss.[50]), e quibus conicere licet in *θαρσύς* — *θρασύς* idem factum esse atque in *δαρχμή* — *δραχμή*, ut forma vetusta ab ipsis scriptoribus adhibita e posteriore loquendi consuetudine in libris submoverentur. Si quid video, hoc omnino nobis magis quam adhuc factum est sequendum erit, ut eiusmodi antiquiorum formarum vestigia apud scriptores Atticos accurate conservemus et, ubi id recte fieri videatur, restituamus, qua ratione ad alios scriptores, Latinos potissimum, emendandos multum hoc tempore collatum esse videmus.

2. *θάρσος* apud Homerum *θράσος* forma recentiore semel mutatur Ξ 416: *τὸν δ' οὔτερ ἔχει θράσος ὅς κεν ἴδηται*. Cum vero hoc loco *θράσος* fortitudinem, *θάρσος* Φ 395[51]) impudentiam significet, utramque formam non iam ita ut postea differre apparet. *Θαρραλέος*, *θαρσέω* — *θαρρέω* al., quae *ρσ* litterarum assimilatione metathesi resistebant, et fortitudinis et impudentiae notioni inserviunt.

3. Apud Atticos *θράσος* et *θάρσος* formae ita distinctae sunt, ut illa in malam partem, haec in bonam partem valeret; quae res nota est neque exemplis eget. Cf. Plut. moral. p. 449.

35. *θρόνα* (X 441: *ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσεν*), quod est pro *τρόνα* — cf. Hesych.: *τρόνα· ἄνθη καὶ τὰ ἐκ χρωμάτων ποικίλματα* — conferendum est cum scr. *tṛṇa-s* herba, got. *thaurns*. sloven. *trŭnŭ*, v. Curt. p. 456.

36. Nonnulla sunt vocabula a rad. indog. *park* ducta, quae varii vel maculosi coloris notionem continent. V.

[49]) *ρσ* assimilatione in *ρρ* verso (ut in *θαρρέω* et sim.) *Θαρρύ-μαχος* est in inscr. Theraea. v. Kirchhoff 'Stud. z. gesch. d. gr. alph.' p. 41 not., aeolica videntur *Θερσίτης*, *Ἀλιθέρσης* sim. Alia nomina cum *θαρσυ-* composita habes in Benseleri lexico. — *Tharsymachus* Ritschelius p. 541 evidenti coniectura Iuvenali (VII, 204) restituit.

[50]) Thucyd. VII, 77 *ἐλπὶς θαρσεῖα τοῦ μέλλοντος* cdd. longe plurimi, ac testis est Thom. Mag. p. 180, 1 R. Bekkerus al. *θρασεῖα* correxerunt.

[51]) Haec sunt verba: *Τίπτ' αὖτ', ὦ κυνάμυια, θεοὺς ἔριδι ξυνελαύνεις | θάρσος ἄητον ἔχουσα* . .

Fickium 'Or. u. Occ.' III 107, lex. p. 119 et 120. E quibus vocabulis *περκός*, *περκνός*, *περκάζω* integram retinuerunt litterarum collocationem, cf. scr. *pṛçni*, lituan. *palszas*, sloven. *pelesŭ*. Accedit *πόρκ-ας* (acc. pl. pro vulg. *πρόκ-ας*)· *ἐλάφους ἢ ταχεῖς* Hesych. Anticipatum autem *ρ* habent *πρακ-νίς* ficus = scr. *pṛçni*, quo nomine fructuum species significatur, *πρόξ*, *προκάς*, cervorum species, *πρακνόν· μέλανα, πρεκνόν· ποικιλόχροον ἔλαφον* Hesych. Cf. Curt. p. 258.

37. *προτί* (*πρός*), cum lingua Graeca iam in singulas dialectos discessisset, ex antiquiore forma *πορτί*, quae in dialecto Cretica (v. Hey, de dial. Cret. p. 52) servabatur, prodiisse videtur, non ut vulgo creditur, haec forma ex illa. Cum enim haud dubie lat. *port-* in *portendere, polliceri* (cf. Corssenum 'Krit. Beitr.' p. 87), osc. *pert* (cf. Corss. 'Ausspr.' II 377), nec minus umbr. *pur* (Zeyss, KZ. XIV 415) ad eandem originem redeant, pro graecoit. forma **porti* habenda, in scr. *prati* autem, sloven. *proti*, lituan. *prësz* (Curt. p. 267) metathesis statuenda erit. Formam sanscriticam e **parti* prodiisse, prâcrit. *paḍi*, quod Aufr.-Kirchh. 'Umbr. sprachdenkm.' I 59 conferunt, firmari videtur. Maximi autem momenti est elisio *r* litterae in *ποτί* forma (quam nullo modo cum Pottio segregari a *προτί* posse Curtius l. l. monuit) et zend. *paiti* (pers. *patiy* cet. v. Justi p. 176). Illam enim elisionem commodius explicari, si pristinae formae **parti*, *porti* fuerunt — quae pro praepositione nimium pondus habebant — quam si *prati*, *προτί* fuissent, luce est clarius[52]). Indog. **parti* procul dubio ad eandem st. *par*, a qua praep. *pra* (graecoit. *pro*) profecta est, redit (cf. Boppii 'Vgl. gramm.' III[3] 501); sed vocalem semper retinuit, quam *pra* dudum amiserat.

38. *πρόσω* e *πόρσω* forma, e qua assimilitione *ρσ* litterarum etiam *πόρρω* prodiit, anticipata liquida ortum esse

---

[52]) Nota sunt exempla *ρ* litterae ante explosivam elisae velut *φρέατος*, *σκατός* a stst. *φρεαρτ*, *σκαρτ*, sed nullum vocabulum in promptu est, quo *ρ* post explosivam evanuisse comprobetur.

collatis lat. *porro*[53]) et got. *fairra* colligi potest, quae L. Meyer 'Got. spr.' p. 288 ad eandem formam principalem redire suspicatus est. Radix his subiecta est *par*, quam aliquoties iam commemoravimus, ut cognata habenda sint scr. *para-s*, adv. *para-m* = ultra, deinde, gr. *πέρ-αν*, *πάρ-ος* cet. Ex illa vero fortasse antiquissimo tempore stirpem **par-as*, ac deinde **par-asa*, abl. **parasât* formatum esse conicere licet; hinc autem syncope **parsât* (cf. scr. *cîrsha-m* gr. *κόρση* ex *çiras*, *καρ-ας*) prodire potuit, e quo got. *fairra* graecoit. **porso* (Fick. p. 468) facile explicantur. — Gr. *πρόσσω* multo recentior videtur forma esse, e praep. *πρό* suffixo *τjo* ducta, ut Curtius p. 267 bene statuit, qui tamen minus recte *πόρσω* eodem revocavit[54]). Iam cum aliquis, qui haec concedat, *πρόσω* ad solam *πρόσσω* formam redire putaverit, tamen — metathesi, ut dixi — etiam *πόρσω* in *πρόσω* transiisse eo verisimile fit, quod *πόρσω* tamdiu in loquendo praeter *πόρρω* adhibitum est. Quod diversam illarum formarum originem in scriptorum usu iam recognoscere non possumus, non mirum est, cum ea propter figurae et notionis similitudinem facile inter se commutari potuerint[55]).

39. *ἔ-βραχ-ον* probabiliter ad rad. **bargh* refertur, unde scr. *barh*, quod de elephantis dicitur, descendit. V. Fickium p. 132, ubi minus recte etiam alia vocabula e linguis cognatis collata sunt.

40. *βρέφος* = scr. *garbha-s*, zend. *garewa*, sloven. *zrebę* (Curt. p. 436) ex indog. **garbha-* ita natum est, ut primum **βέρφος* (labialismo), deinde *βρέφος* fieret.

---

[53]) Pottius I[2] 272, cum perperam *πρόσω* (unde *πόρσω* vocali praeposita ortum putabat) ad *πρός* revocaret, adductus est, ut lat. *porro* segregaret atque pro **pro-tro* esse statueret, quod nullo modo probari potest.

[54]) Tum enim, nisi fallor, lat. *porro* segregandum esset, sicut Pottius fecit; neque vocalis anticipatio in hac voce mihi probatur.

[55]) Passowius in lex. monet in *πρόσσω*, *πρόσω* notionem 'vorwärts', in *πόρσω*, *πόρρω* not. 'weit, fern' praevalere. Sed non solum *πρόσω* saepius pro *πόρσω* dicitur — id quod nobis ex origine illius formae probatur — sed etiam *πόρρω* paene eodem modo ac *πρόσσω* dictum invenitur.

41. *πράσον* porrum liquidam anticipatam habere demonstrari quidem non potest, sed paene certum videtur aliorum exemplorum similitudine (cf. n. 11, 16 cet.), cum maxime *rs* litterarum coniunctionem aut metathesi aut assimilatione saepius evitatam cognoverimus. Quare Hehnio non crediderim lat. *porrum* pro **porsum* vocali praeposita e gr. *πράσον* prodiisse; sed illud cum a Graecis translatum esse concedendum sit, ad antiquiorem formam graecam **πάρσον* revocaverim, cuius tamen nullum vestigium supersit.

42. *βρόμος* avena pro recentiore forma habendum erit quam *βόρμος*, quod traditur apud Hesychium (*βόρμος ὂν καὶ βρόμον λέγουσιν*) et EM. 285, 3, v. Lobeckium p. 499. Hic, ut supra iam commemoravi, vocabulum recte fortasse e rad. *βορ* in *βορ-ά* cet. duxit et commode *γράσ-τις* (a *γρά-ω* = 'futter', cf. Curt. p. 436) comparavit. Hehnius *βρῶμος* (*βρόμος*) hircus cet. confert (v. p. 401), quod quo iure fieri possit nondum perspectum habeo.

43. *φράσσω*, cf. lat. *farcio*, got. *bairga*, lituan. *brukù* cet. Curt. p. 283. Quamvis apud Latinos quoque *r* anticipatum sit in *frequens*, quod huc pertinere videtur, radicem primitus *bhark* fuisse eo certissimum est, quod ipsi Graeci *φαργ* servarunt. Quod enim in EM. est p. 667, 22: *πεφαργμένος ἀντὶ τοῦ πεφραγμένος καὶ ἐφάρξαντο ἀντὶ τοῦ ἐφράξαντο καὶ τὸ φρακτὸν φαρκτόν* id minime, ut Dietrichius p. 7 opinatur, ad recentiores scriptores pertinet, quasi *φαργ* e *φραγ* ortum sit. Sed recte Dindorfius ad Aristoph. Ach. v. 95 monuit eas formas, quae *α* ante *ρ* habent, vetustiorum Atticorum fuisse, sed ubique fere a librariis esse oblitteratas. Traditae sunt hae: *ναύφαρκτος* Phot. (inde Aristophani restitutum a Dindorfio l. l., idem ex EM. *πεφαργμένος* correxit Soph. Ant. 235, *κατάφαρκτος* ib. 957 cet.), *φάργμα* (sic cd.)· *φραγμός*, *φάργνυμι*· *φράσσω* Hesych., *φάρξαι* teste Curtio in inscriptione edita in 'Monum. dell' Instit. archeol.' 1865 fasc. IV, 325, *φάρκτεσθαι*· *τὸ φράττεσθαι* Phot., cf. *φάρκτου*· *φυλακὴν σκεύαζε* Hesych.

44. *φρέαρ* pro **φρεϝαρ* Curtius p. 284 e rad. *φυρ* (in

πορφύρω, πορφύρεος) duxit. In got. *brunna*, quod cognatum videtur, seiunctim metathesis facta est.

45. φρύνη bufo, Φρύνη, Φρύνιχος cet. a colore nomen habuerunt. Conferenda sunt cum Curtio l. l. lat. *furvus, fuscus* (pro **furscus*) et scr. *ba-bhrus*, theod. *brû-n*, quae perinde ac vocabula graeca anticipatam liquidam habent.

46. βροτός mortalis iam antiqui grammatici perspexerunt e μορτός ortum esse; hoc autem perperam ad rad. μερ, quae est in μείρομαι cet., rettulerunt, v. Lob. p. 499. Radix subiecta est μαρ — μορ, cf. μαρ-αίνω, scr. *mar*, zend. *mar*, lat. *morior* cet. Curt. p. 310. Βροτός totum concinit cum scr. *mar-ta-s*, zend. *mare-ta*, ἄ-μβρο-το-ς cum scr. *a-mṛ-ta-s*, ἀ-μβρό-σιο-ς cum scr. *a-mar-tja-s* (Fick. p. 150). Servata sunt μορτός apud Hesych. (cf. Callim. fr. 271), μορτό-βατος ναῦς, quo Charontis linter significatur, ibidem, denique ἔ-μορτ-εν forma ab Hesychio ἀπέθανεν explicata, quam Lobeckius Pathol. I, 37 corruptam ex ἥμαρτεν pro τοῦ ζῆν ἥμαρτεν (!) esse opinatur. Est illa forma denominativa ut ἔ-βλαστ-ον al. v. infra n. 72 et § 6. n. 82.

47. βρότος cruor Buggius KZ. XIX 446 cum scr. *mûr-ta-s* concretus, coagulatus composuit collatis scr. *mûr-kh* coagulare zend. *mrû-ra* crassus, quae probabiliter ad radicem primariam *mar* redire statuit. Βρότος igitur ex **mar-ta-s* *μορ-το-ς natum esse censet.

47 *b*. Idem Buggius l. l. βρεχμός prior pars capitis (pro *μρεχμος) et scr. *mûrdhan* (pro **mardhan*) comparavit, χ pro *dh* substitutum esse collatis δίχα et scr. *dvidhâ* ratus.

48. βραδύς pro *μραδύς cum sloven. *mladŭ*, scr. *mṛdus* mollis cognatum putatur, v. Curt. p. 216. Fickius p. 150 **mradus* tamquam indog. formam affert; quod si rectum esset, metathesis non apud ipsos Graecos, sed iam apud Indogermanos facta videretur. Metathesim enim factam esse constat, sive cum Ebelio KZ. VII 226 (cf. Curt. p. 304) radicem *mard* — *smard* (cf. zend. *mared*, lat. *mordeo*, gr. σμερδ-νό-ς cet.), sive — quod mihi solum rectum videtur — radicem *mard* e *mar* (in μαρ-αίνειν cet.) et *d* com-

positam statuimus. Sed apud ipsos Graecos *βραδύς* e **μαρδύς* prodiisse verisimile fit formis cognatis *ἀ-μαλδ-ύνειν* sim. (cf. infra n. 71) et eis, quae in § 8. de *βάρδιστος*, lat. *bardus* cet. proferemus.

49. *βράξαι· συλλαβεῖν, βρακεῖν· συνιέναι, δυσβράκανον· δυσχερές, δύσληπτον, δυσκατανόητον* Hesych. cum scr. *març* tangere, prehendere (in *mrç-ati, març-ana-m* cet.) ad indog. rad. **mark* redire, quae in **μρακ, βρακ* mutata sit Fickius KZ. XX, 171 sq. demonstravit. (Cf. eius lex. comp. p. 149 et Rothium KZ. XIX, 223.)

49*b*. E rad. *μαρκ* labialismo *μαρπ* (in *μάρπτω* cet.) prodiit, quod metathesi transmutatum conspicimus in compluribus Hesychii glossis: *βράψαι· συλλαβεῖν, ἀναλῶσαι, κρύψαι* (cf. *μάρψαι· συλλαβεῖν*), *βράπτειν· κρύπτειν, ἔβραψεν· ἔκρυψεν, ἔβραπτεν· ἔκρυπτεν*. Videntur hae formae latius patuisse. Cum *δυσβράκανος, βρακεῖν*, sicut lat. capere, theod. 'fassen' in percipiendi notione dicatur, Fickius etiam *μέροψ*, hominis attributum, huc retulit, ubi vocalis inserta esset ut in *στέροψ* sim. cf. supra n. 21.

50. *βρόχος* laqueus Buggius KZ. XX, 25 cum lituan. *verž-iù, verž-ti*, theod. *würgen* (vet. *wurkjan*) ad rad. **vargh* revocavit. In got. *vruggo*, quod idem esse atque gr. *βρόχος* [illegible]eyer 'Got. spr.' p. 251 vidit, seiunctim metathesis facta est. — Vix est quod moneam transitum digammatis in *β*, cum metathesi facta liquida sequeretur, facillime admitti potuisse; quem eundem in dial. aeol. ante *ρ* fere legitimum fuisse scimus (v. Ahr. p. 34). Eadem origo *β* litterae est in proximis, quae affero, exemplis et — *λ* sequente — in n. 72 et 73.

51. *βράσσω* ferveo recte haud dubie Curtius p. 536 cum lituan. *vir-ti, vir-tis* vortex, sloven. *var-iti, vr-eti*, fervere, theod. *wal-an* composuit et *var* radicem his subiectam apud Graecos *τ* accedente auctam ac deinde metathesi affectam statuit. De *βρύ-ειν* cf. infra § 7 n. 100.

52. *βρέτας* item persuasum habeo a Curtio l. l. recte a rad. *var* vereri (cf. Fickium 181) ductum esse et proprie significare rem venerandam. Ad eandem radicem iam

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 035 369 9

Boppius ἐ-ορ-τή (cum ε prothetico pro *ϝορτη — *ἐ-ϝορτη) rettulit. Aeol. ἔροτις (pro *ἐ-ϝρο-τι-ς) metathesim passum est ut gr. βρέτας, scr. *vrata-m*[56]). In Hesychii glossa: ἐροτήν· ἑορτήν fortasse ἔροτιν corrigendum est.

53. ῥατάνη trulla pro *ϝρατ-άνη, *ϝαρτ-άνη descendit a rad. *vart* (in lat. *vertere*) v. Curt. l. l. E dial. aeol. Hesychius tradidit βρατάναν· τορύνην Ἠλεῖοι (cf. Ahr. 216).

54. ῥέζω pro *ϝρεγ-jω — *ϝεργ-jω e rad. ϝεργ non minus quam ἔργον, ἔρδω al. formatum esse iam in § 1 commemoravimus.

55. ῥαιβός ut significatu ita origine convenit cum lat. *valgus* et proxime accedit ad scr. *vrǵ-ana-s* et got. *vraiqs*, v. Aufrechtium KZ. XII, 400. E rad. indog. *varg* ῥαιβός hac formarum serie videtur prodiisse: *ϝαργ-jo-ς *ϝραγ-jo-ς *ϝραιγο-ς, *ϝραιβο-ς — ut in hoc uno vocabulo metathesim, epenthesim, labialismum coisse statuendum sit.

56. ῥάδαμνος, ῥόδαμνος, ῥάδιξ ramus, surculus, aeol. βραδινός procerus al. (v. Curt. 328) ad radicem *vard* (non *vrad*), quae est pro *vardh* crescere (ut *skand* pro *skandh* cet., v. Corssen. I², 403), redeunt, quae radix maxime perspicua est in theod. *wurz* al. — Ῥοδόν, aeol. βροδόν non huc pertinet, sed peregrinum est vocabulum ex Asia ad Graecos translatum. V. Pottium II², 817.

57. ῥοφέω pro *σροφεω — *σορφεω conferendum est cum lat. *sorbeo*, lit. *surbjù*, *srebjù* al. v. Curt. p. 277.

---

[56]) Si quis coniecerit, cum βρέτας et scr. *vratam* tam prope inter se contingant, in quibusdam formis e rad. *var* ductis iam ante Indogermanorum discessum liquidam praepositam fuisse, monendum est duo illa vocabula et forma et usu diversa esse, quare hic quoque metathesim iure singulis linguis et Graecorum et Indorum tribuere mihi videor.

Reliqua huius dissertationis pars prodibit in Curtii 'Studiorum grammaticorum' vol. V.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 035 369 9